## De taenia humana : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Fridericus Piltz.

#### **Contributors**

Piltz, Friedrich Wilhelm, 1802-Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin. Royal College of Surgeons of England

#### **Publication/Creation**

Berolini: Typ. Jordanianis, 1831.

#### **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/cdr56hre

#### **Provider**

Royal College of Surgeons

#### License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org





# DE Da.A: 437 TAENIA HUMANA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

FRIDERICA GUILELMA,

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XXV. M. IULII A. MDCCCXXXI.

H. L. Q. S. PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS PILTZ,

VRATISLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

GIELEN, MED. ET CHIR. DD. LÖWENBERG, MED. ET CHIR. DR. SCHMELZER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.

BESTER AND THE PERSON

## VIRO

# JOSEPHO HOFFMANN,

SORORIO INTIMO MIHIQUE AMICISSIMO,

AC

PATRONO SUMME VENERANDO

#### HAS

### STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

## PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

## Lecturis S. D.

and sinous pan lattingfular forgula cased were

in cuidem, at milit nec nove nec fire abi-

The err methodos ficet distributed practeriverim.

Lege sancitum est academica, ut summos qui ambeat in medicina et chirurgia honores, dissertationem concinnet: cui obtemperans legi hunc libellum de Taenia, quae hominem infestat, conscripsi. Praetermissis, quae in lucem prodierunt, theoriis multifariis de vermium intestinalium origine, cum lites inde exortas componendi et ob temporis et libelli hujus angustias non mihi detur locus: de Taenia modo eaque humana disserui, historiam ejus naturalem, pathologiam et therapiam evolvens. Inter remedia, quae antiquitus jam contra vermes intestinales in usum trahebantur, fere innumera, ea praesertim memoratu digna existimavi, quae recentiori tempore vi sua Taeniaefuga reliquis omnibus excelluerunt. Quamo-

brem varias variorum auctorum ad expellendam Taeniam methodos licet silentio non praeteriverim, eas tantummodo accuratius exposui, quae nostro aevo et novitate et effectu insigni distinctae, specificorum quasi nomina haud immerito sibi vindicarunt.

Vos quidem, ut mihi nec nova nec fors ubique bona dicenti indulgeatis, nec tironis esse hocce opusculum obliviscamini oro rogoque.

tibellian as Treville, quae homineri infestat, com

someth free manufair, once in locem production

shootile remititerile de Permitten intestinalique en-

gines cues lites inde exteres componendi el ob

Hatoram ems naturalem, pathologiam et thera-

existing and recentled tempore 'vi sen The-

## Pars prima.

### Historia Taeniae naturalis.

Entozoorum, quae Taeniae nomine insignita, corpus humanum infestant, duae a celeberrrimis Helminthologis III. Rudolphi¹) et Bremser²) distinguuntur species, quarum altera Taenia lata (Bothriocephalus Bremseri) altera Taenia Solium vocatur, nunquam hucusque in uno eodemque homine simul repertae (casu uno ³) excepto).

Utraque refertur ad ordinem Cestoideorum Rudolphi vel Taeniaeformium vermium Zederi, lumbricorum latorum Veterum (ε'λμινθες κλατηαι aut κηςιαι aut

<sup>1)</sup> C. A. Rudolphi Entozoorum s. vermium intestinal historia natur. Voll. III. c. tab. acn. Amstelodami. 1808 — 10. 8.

<sup>2)</sup> Dr. Bremser über lebende Würmer im lebenden Menschen. Wien 1819. 4.

<sup>3)</sup> C. A. Rudolphi Physiologie. Bd. 2. Abtheil. 2. S. 239. Anmkg. 2.

rum character est: corpus elongatum, depressum, molle, continuum vel articulatum.

### I. Bothriocephalus latus.

Pertinet ad genus Bothriocephalus dictum et ab Ill. Rudolphio stabilitum (3092101 fovea, 219222 caput) Rhytis Zederi; Taenia auctorum; Bandwurm, Grubenkopf. Cuius hic est character genericus: corpus elongatum, depressum, articulatum; caput subtetragonum, foveis duabus oppositis instructum, inerme aut armatum.

Corpore igitur articulato Bothriocephalus cum Taenia convenit, sed duabus capitis foveis ab hac discrepat.

Bothriocephalus latus Bremseri, lumbricus Veterum, vermis fascialis aut cucurbitinus; Taenia lata Linné, Rudolphi, Bloch, Götze; Taenia lata et grisea Pallas; Taenia vulgaris Gmelin et Joerdens; Halysis lata et membranacea Zeder; Ténia à anneaux courts ou à mammelons ombiliceauxBonnet; Ténia à épine, le T. large Cuvier; le ver plat; Taenia inerme umana Brera.

Apud Germanos aliosque plura et huic et Taeniae Solio nomina communia: Germanis audit Bandwurm, Nestelwurm, Kettenwurm; Hollandis Lindworm Danis Baandorm, Baendelorm; Suecis Binnike-Mask; Anglis The tape-worm, jointed worm. Character specificus: B. capite foveisque marginalibus oblongis; collo subnulto; articulis anticis brevissimis rugaeformibus; însequentibus brevibus subquadratis, latioribus, ultimis longiusculis.

Habitat in hominis intestinis, in Helvetia, Russia, Polonia, Italia frequens, passim in Gallia, rarissime vero in Germania, Hollandia et Anglia occurrens.

Descriptio. Vermis planiusculus, plerumque 10 ad 20 usque pedes longus (Boerhave eundem 300 ulnas longum se vidisse refert) parte latissima aliquot lineas, ad summum testante Rudolphio pollicem integrum latus; coloris albidi, in spiritu vini fuscescentis, unde Pallas ') etiam griseum eum appellaverit. Caput exiguum, oblongum, oblongis instructum foveis marginalibus; collum distincte plerumque ab eo separatum, oculo inermi vix conspicuum, articulis caret. Corporis pars antica tenuissima fere capillaris, articulis latioribus quam oblongis, interdum tamen et latiorum seriem angustior excipit, ultimo articulo semper obtuso. Superficies articulorum vel laevis vel transversim striata vel striis in medio longitudinalibus distincta variamque hanc conditionem a vario repetit contractionis vel expansionis ovariorum gradu. Nec facile secedunt articuli singuli, cute quidem continua, etsi saepe interrupta. - In media cuiusvis articuli parte conspiciuntur ovaria, in speciem rosarum aut liliorum circa

5) Spellengen; Memories one la respiration

<sup>4)</sup> Pallas in d. nordischen Beiträgen.

foramen medium collocata, rufescentia aut fuscescentia, oculis subrotundis turgida saepiusque foraminulo instructa, plus minusve conspicuo (osculo laterali Linné). Foramen medium, quod plerique solitarium adesse credebant, duplex semper distinxit cel. Rudolphi, alterum nimirum maius papillam continet, raro eminentem, rarius exsertam (lemniscum Rud.) plerumque retractam, alterum exiguum, saepe lentis tantum beneficio conspicuum, saepe fere evanescens. - Motus in B. lato, sive integrum respicias vermem, sive articulos divisos, observantur varii et vivacissimi, indefaciliter explicandi, quod, non obstante fibrarum defectu, fibrillarum tamen et longitudinalium et transversalium strato, articulorum cuti inserta reperiuntur. - Absorptio cutanea, qua substantia cellularis humectatur, certe parvi non facienda, cum et singularem nutritionis rationem exhibeat ipsique curae instituendae utilitatem quandam afferat. - Respirationis organa nulla, tamen respiratio, oxygenii enim quidquam absorberi, experimentis variis a cel. Spallanzani 5) institutis abunde elucet. - Nutritionis apparatus et ore caret et canali alimentari. Foveas autem in capite conspicuas, nutrimento recipiendo licet idoneas non putet Zeder, 6) Taeniarum tamen osculis maxime analogas, quid? quod aeque mutabiles, eodem etiam

<sup>5)</sup> Spallanzani, Memoires sur la réspiration.

<sup>6)</sup> Zeder, Naturgeschichte.

munere fungi persuasissimum habet Rudolphi. Bremser ope osculi, inter utramque foveam conspicui, nutritionem fieri affirmat; Olfers ') vero eandem absorptioni cutaneae utplurimum tribuendam esse asserit. — Coitus et partus in B. lato eadem qua in T. solio ratione absolvuntur, de quibus infra mihi dicendum erit.

Observ. 1. In cadavere B. latus (Taenia lata) nunquam, teste Rudolphio, repertus est, nisi forte Taenia, quam Erdmann bin corpore mortuo reperit, in qua tamen ex causa macerationis nimium progressae genus modo perspici potuerat, huc referenda esset. Nec causa, qua parasita haec in cadavere nondum reperta sit, nos latebit, si vermem hunc in morbis gravioribus vel et lethalibus, aut vivente adhuc aegro aut certe ante ipsius hominis mortem perire jam et dissolvi rite perpenderimus.

Observ. 2. Cl. Carlisle ') historiam ab Huntero acceptam tradit, qua Taeniam latam octo saltem annos vixisse edocemur. Sed quamnam aetatem Taenia lata attingere valeat, evictu sane difficile, cum plures saepe simul adsint vermes, frustula frequentius insciis aegris eliminentur, alia in mucum non raro diffluentia dejiciantur, itaque quotnam capita adfuerint

<sup>7)</sup> Olfers de vegetativis etc. corporibus in corp. anim. treperiund. commentarius. P. I. Berol. 1817.

<sup>8)</sup> Vide Journal d. pract. Heilkunde, herausg. von Hufeland u. Osann Bd. 64. St. 3. März 1827.

<sup>9)</sup> Carlisle in Transactions of the Linné Soc. Vol. I.

vel quotnam annos Taeniae tali in casu vixerit, difficillime determinari queat.

## II. Taenia Solium.

tus of partue in B. late endeed que in T

new fieri alfirmati, Olfers, O vero egodem abrororian

Alterum Entozoorum, Taeniarum nomine vulgo insignitorum, genus dicitur Taenia Rud. (ἐταινια fascia, α ταν τανω, ταινω, τεινω tendere (Halysis Zeder (ἀλυσις catena) et hoc distinguitur charactere: corpore elongato, depresso, articulato, capite inermi aut armato, osculis quatuor suctoriis.

Taenia Solium Linné, Rud., Brems. Werner, Gmelin, Carlisle, Joerdens, Olfers, Oken, Taenia cucurbitina Pallas, Bloch, Goetze, Schrank, Halysis Solium Zeder, le Ténia à longs anneaux Cuvier, le Ténia sans épine; Taenia armata umana Brera.

Praeter nomina plura et huic et B. lato communia (vide infra) hic vermis speciatim vocatur in Gallia: le Solitaire, in Germania: Kürbiswurm, langgliederiger Bandwurm.

Char. specificus: T. capite subhemisphaerico, discreto, rostello obtuso, collo antrorsum increscente, articulisque anticis brevissimis, insequentibus subquadratis, reliquis oblongis, omnibus obtusiusculis; foraminibus marginalibus vage alternis.

Habitat in hominis intestinis tenuibus. In Germania, Hollandia, Anglia, Oriente haec fere sola aut potissimum, in Gallia vero cum Taenia altera promiscue occurrit.

Descriptio. Longa plerumque quatuor ad decem pedes, interdum tamen longissima, latitudunis variae, antice vix ultra quartam vel tertiam lineae partem, postice sesquilineam ad tres quatuorve lineas attingentis. Crassities quoque admodum variat, ut Taenia nune sit tenuissima et plana, nunc carnosa et depressa. Caput exiguum, polymorphum, plerumque hemisphaericum, mox fere truncatum, mox subglobosum; oscula antrorsum posita, orbicularia; rostellum intermedium brevissimum vel retractum vel parum exsertum, ad apieem papilla minima notatum et duplici uncinulorum parvorum et reflexorum corona cinctum.

Collum a capite discretum eoque triplo vel sexies longius, brevissimum tamen. Articulorum series prima colli latitudinem aequans, singulos perbreves exhibet, antice fere rugas transversas sistentes, angulis lateralibus vix exstantibus. Series subsequens articulis componitur sensim majoribus, subquadratis, quorum margines laterales modo crassiusculi, modo acutiores, margo autem posticus utplurimum crassior, ligamenti speciem refert. Series tandem ultima articulos continet duplo triplove longiores quam latos, marginibus antico et postico rectis, lateralium vero altero acutiusculo imperforato, altero obtuso, in medio papilla hiante instructo. Nulla tamen in his seriebus observatur constantia, articulis mediis scilicet interdum brevissimis et crassissimis aut plurimis nonnunquam duplo latioribus vel etiam tenuibus et elongatis. Foramina

rev. expos. p 35 of seq. Tab. H. Fig.

quoque, generatim licet alterna, maxime tamen ordine variant, quin imo opposita Wernero apparuerint (Rud).

Genitalia quod attinet, in Taenia Solio observanda, articuli omnes anticis et minoribus exceptis, ovaria continent, foraminibus marginalibus praedita (osculis marginalibus Linné) unde tubulus oritur transversus brevissimus, mox duos emittens canaliculos, a Wernero 10 detectos optimeque descriptos et delineatos, quos nudis iam oculis sat bene, melius tamen lente armatis conspicere licet. Quorum alter maior et transversus ad mediam articuli partem flexuosus decurrit et quamvis vera anastomosis non pateat, cum ovarii tamen vasis coire videtur, eiusdem etiam indolis spongiosae, mollioris, alter autem canaliculus tenuior et rectus oblique ad articuli medietatem fertur, priori igitur longior, sacculo autem vel bulla clausa terminatus, durioris omnino qualitatis.

E foraminibus vero articulorum maiorum marginalibus lemnisci exseruntur, qui verosimiliter pro cirro sive organo tam spermati quam ovulis emittendis destinato habendi sunt eodem iure, quo maior canaliculus flexuosus oviductum, minor et rectus vas spermaticum et sacculus denique eiusdem vesiculam seminalem constituere et repraesentare videntur. (Rudolphi).

Coitus. Sexus uterque in eodem individuo coniunctus, quod et hermaphroditum et androgynum esse

<sup>10)</sup> Werner brev. expos. p. 35 et sqq. Tab. II. Fig. 37, 38.

potest. Vel enim articulorum duorum in nodulos contortorum orificia, labiis tumentibus instructa, arctissime sibi admoventur, iisque genitalia mascula, e foraminibus marginalibus prominentia (lemnisci Rud.) immitti videntur, itaque duplex coitus aut codem tempore aut successive peragitur, quo utriusque etiam ovula vivificantur, quod quidem Carlisle 11) merito iam suspicatus est, Rudolphi 12) autem extra omne dubium collocavit. Interdum tamen et duae Taeniae, si adsunt, fortiter sibi adhaerentes, fere adglutinatae conspiciuntur, manifesto argumento, Taenias invicem etiam coire posse.

Partus ipse memoratu dignus, etenim, anticis prope collum exceptis, articuli omnes ovulis plus minusve repleti, quae sub cute tenuissima mediis in articulis transparentia, iisdem disruptis, excluduntur, in mucum intestinalem circumcirca diffusa. Sed articulis tali ratione laesis saepiusque separatis a reliquis, vermes maiores semper laceri ultimisque articulis orbati apparent; ipsi autem articuli singuli circa mucum dispersi, quos Veteres plerumque pro vermibus peculiaribus, cucurbitinis sibi dictis, habuerunt, quin imo Coulethus pro Ascaridibus vendiderit. — Ovuloram e foraminibus marginalibus exclusionem cum Wernero aliisque non statuerem, sed Rudolphii potius sententiae

<sup>11)</sup> l. c. p. 255.

<sup>12)</sup> l. c. T. I. p. 317.

assentiendum esse arbitror, qui singulos articulos, ovulis exclusis partuque qua unico et principali vitae munere peracto, perire statim monuit. — Taeniae ova semper pariunt et in articulis maximis secedentibus et circa eosdem conspicua. Embryones in ovulis Goetze, Zeder et Rudolphi observarunt, quid? quod Zeder <sup>13</sup>) eosdem vivos se vidisse refert.

Quod attinet motum, organa respirationis et absorptionem cutaneam, de Taenia Solio eadem valent, quae supra jam de Bothrioc. lato dicta sunt. -Nutritionis apparatus. Oris loco Taenia Solium quatuor gaudet osculis suctoriis, e quibus canales totidem laterales oriuntur, mox in duos unumve abituri. Canalis iste longitudinalis utrimque haud procul a margine per articulos decurrens, canalis transversalis ope cum opposito coniungitur; connexi tandem conspiciuntur canales in articulo corporis ultimo, in cuius apice Rud. foramen commune, quo terminaretur, observavit, obstante Carlisle 14), qui articulorum Taeniae Solii ultimum poro destitutum esse affirmat. Praeter istos canales longitudinales cum transversis communicantes, alia adhuc Taeniarum dantur vasa, brevia nimirum in quovis articulorum, praesertim maiorum, conspicua, racemum formantia, a Goetzio aliisque merito pro ovario habitum. Alimen-

<sup>13)</sup> l. c. p. 314.

<sup>14)</sup> Carlisle in Transact. of the Linn. Soc. Vol. II. p. 250.

tum igitur osculis capitis suctoriis hauriri et per canales longitudinales et transversales in omnes corporis articulos ferri statuit Rudolphi.

Observ. 1. Vermem hunc solitarium esse, per saecula quidem totae nationes putabant; cuius sententiae falsitas nunc quidem neminem fugit.

Observ. 2. Errabant quoque, qui cum Couletho 15) articulos Taeniae excretos pro Ascaridibus vel cum Vallisnierio 16) pro vermibus peculiaribus habuerint, cucurbitinis (Kürbiswürmer) dictis, quorum concursu Solium nasci rati sunt.

Observ. 3. Ingens est omnemque fere sidem superans longitudo, Taeniae Solio a veteribus aeque ac recentioribus auctoribus tributa, unam modo in uno homine Taeniam occurrere supponentibus. Interdum tamen vere longissima sit haec Taenia, quam Robinus <sup>17</sup>) in hominis cadavere a pyloro ad septem pollicum ab ano distantiam, villosae sortiter adhaerentem vidit: quo in casu, articulos si contractos suisse dicas, intestinorum humanorum longitudinem triginta circiter pedes aestimatam, Taeniae illius longitudo certe duplo triplove superaverit.

<sup>15)</sup> Stephan. Coulet diss. inaugur. de Ascaridibus et Lumbrico lato. Lugd. B. 1728. 4.

<sup>16)</sup> Ant. Vallisnieri considerationi ed Esperiense di A. V. intorno at creduto Cervello impetrito, ed alla generatione de Vermi ordinari del corpo umano.

<sup>17)</sup> Lettre á M. Postel de Francière par M. Robin. Im Journ. de Med. Tom. 25. p. 222 — 226.

Observ. 4. Goetze <sup>18</sup>) aliique Taeniosos musicen ferre non posse referunt, ipseque duos Taenia laborantes curandos suscepi, qui variorum instrumentorum sonis perceptis de molestiarum verminosarum augmento querebantur. Quod vero singulare phaenomenon Ill. Rudolphi <sup>19</sup>) morbo hypochondriaco vel hysterico, maxime vario, saepeque haec illave respuenti imputandum esse censet; Taeniosas enim nonnullas novit, quae arte musica delectantur.

Memorabilis sane sub hoc respectu casus a Desarneaux 20) nobis traditus de adolescente quodam, convulsionibus dirissimis, lethalibus tandem, affecto, quas Taenia excitaverat: convulsiones nimirum sub morbi initio cantu mitigari fortuito, serius autem uno tibiae sono pro lubitu excitari denuo et recurrere observavit.

Pauca adhuc, quae Taeniarum evolutionem et reproductionem spectant, hic adjicere non inutile fore arbitror. Entozoa, ideoque et Taenias generatione aequivoca, s. originaria s. primitiva. i. e. materiae vivae et organicae spontanea formari, nunc quidem

<sup>18)</sup> Götze Versuch einer Naturgeschichte der Eingeweidew. thier. Körper. Blankenburg. 1782.

<sup>19)</sup> l. c. Vol. I. p. 165.

<sup>20)</sup> Convulsions occasionnées par des vers, etc. in Rich. de Hausesirk Obs. T. III. S. 469.

Taenia, sive sit prima in homine aliquo ex generatione aequivoca, sive progenies priorum ex ovo nata, et utut quodcunque animal sensim sensimque increscendo ad perfectam magnitudinem usque evolvitur (Bremser) neque ex membro singulari formatur, quod affirmavit Carlisle. Paulatim increscere Taeniam ex eo patet, quod membra singula magis magisque inter se distingui possunt, primoque posteriora, ad debitam vero provecta magnitudinem et exculta, maturatis, quae continent, ovis, a trunco sejunguntur, eo quidem tempore, quo prope caput nondum inter se distinguenda collum longum efformant: procedente autem evolutione et hae partes a reliquis divelluntur, donec caput ipsum eandem viam sequatur et per anum exoneretur.

Nec tanta reproductionis vi instructa est Taenia, quantam ei tribuunt plurimi, quid? quod fuerunt, qui membra illius revulsa alvoque excreta regenerari aut, quod idem est, Taeniam, nisi occidatur, in infinitum crescere putarent. Quae tamen partium reproductio omni caret probabilitate, neque enim ex capite neque ex parte corporis media, neque ex cauda (quod Andry experimento suo extra dubitationem ponere putabat) regeneratio ista repeti et explicari potest. Eadem de Brerae opinione dicenda esse mihi videntur qui tot partes reproduci asserit, quot perditae sint, ita ut vermis semper eandem teneat longitudinem.

Ex eo autem, quod Taeniae caput inter partes alvo exoneratas non reperiatur, minime concludi po-

test, ex capite creari vermem integrum, imo ne in in testinis quidem hoc residere. Saepissime enim verme sub excretione, prope caput plerumque, discisso, caput ipsum in faecibus non reperitur. At Bremser inter plura centena hominum, quos taenia liberaverit, haud unum unquam vermis caput conspexisse asserit. nihilominus vero ex centenis ab hoc malo nonaginta novem evasisse incolumes, se ipsum autem, cum faeces aqua leniter alluerit, caput plerumque deprehendisse. Ergo nec caput in intestinis residuum magnopere timendum, nec aegrotis fides habenda erit, qui caput non depulsum esse affirmant. Exempla licet exstent in Museo anatomico Vindobonensi, ubi caput post mortem internae intestinorum membranae plures per annos ita inhaesit, ut disjungi non posset; quid refert? haereat guidem in aeternum, dummodo anthelminthico interficiatur, ovulisque cum muco egestis, dispositio tollatur verminosa.

## Pars secunda.

## Pathologia Taeniae humanae.

Quam partem pathologicam in tres dividens sectiones, primo de diagnosi, deinde de aetiologia, tertio tandem de prognosi Taeniae humanae disserturus sum.

## I. Diagnosis.

Utrum tractui intestinorum hominis Taenia insit necne, cognitu certe difficillimum. Etenim affectiones morbosae taeniis vulgo excitatae innumerae fere et multifariae, in systemate reproductionis et nervorum inprimis conspicuae, fallacia exhibent Taeniarum symptomata, quae aut aliis interdum vermium speciebus debentur aut ex fonte longe diverso, uti scrophulis, rhachitide, hysteria, hypochondria, hydrocephalo etc. ortum hauriunt ita, ut pathognomicum taeniarum signum reperiatur vix ullum, nisi sponte erumpant.

Ex copiosis Helminthiaseos symptomatibus, sive primariis, ex vermium motibus oriundis, sive secundariis, ex digestione laesa, muci accumulatione, aut irritatione tum consensuali tum antagonistica prodeuntibus, ea modo eligenda esse censui, e quibus cum certitudine quadam ad vermium in genere praesentiam concludi possit, signa deinde expositurus, quibus Taenia in specie cognosci soleat.

Vermes adesse, ex his suspicari licet symptomatibus: facies observatur pallida, mutabilis, utplurimum tumida, flavescens interdum vel colore phthisico notata; halones circa oculos luridi, praesertim mane, oculi saepius lacrymantes, pupilla dilatata, strabismus etiam et visus duplicatus; pruritus nasi anique, interdum nikoyasis et rhinalgia verminosa; ructus frequentes, vomituritiones, ipse tandem vomitus sic dictus verminosus; abdomen tumidum, inaequaliter durum

saepe tympanicum (meteorismus verm.) dolore ventris sine ulla causa manifesta exorti, fugaces (co lica verm.) extremitates marcescentes, sensu fere expertes; urina turbida, lactea, stranguria interdum; in individuis junioribus febris, raro vehemens, continua remittens; vertigo, salivae adfluxus in ore; vermium tandem ex ano delapsus. Confirmatur diagnosis molestiarum augmento, quod ciborum et potulentorum vermibus inimicorum usum, jejuno inprimis ventriculo, excipere solet, nec non eorundem, lacte assumto, remissione et periodico affectionum, novilunii praesertim tempore, incremento.

Praeter haec signa, vermibus intestinalibus hominis communia, alia nunc nobis adferenda sunt, quae Taeniae humanae praesentiam denotant:

Aegrotus, motum undosum in abdomine, praesertim latere sinistro et circa umbilicum percipiens, vino, acidis amarisque ingestis majorem, graviditatis interdum speciem ferentem, de suctionis ibidem molestae sensu vel tensione interna, cum pondere e filo pendente comparanda conqueritur. Vexant eum dolores fugaces, pungentes in regione ventriculi et rotationis interdum, et morsus et vellicationis sensationes, vermi sane contrahenti sese et convolventi tribuendae, cuius caput porique suctorii singulari gaudent vivacique agilitate. Jejunus adhuc singularem dolorem accusat aeger in praecordiis et fastidium leve quidem, post alimentorum esum mox evanescens. Ponderis quoque sensatio Taeniosum molestat in loco ventris fixa, abdomen citis-

sime saepe intumescit et hiatu frigidiusculo perflari videtur; corporis cuiusdam subito ascendentis, mox iterum relapsi perceptio. Faciei pallor et livor, pupilla angustata potius quam dilatata (Vogel), nasus prolongari videtur; habitus atrophicus; appetitus iam nullus iam insatiabilis, sub nocte accedens, cuius insoliti argumentum profert. Nitret 21) in litteris ad de Haen, ex femina sc. quae octodecim Taenias in corpere suo alens et interdiu et nocte, fame coacta, comedisse dicitur; magna etiam observatur ad vomitum propensio, ingratis praesertim excitatis ideis. Insignis est et prorsus singularis in Taeniosis animi perturbatio, ita ut nunc tristitia, nunc hilaritas insolita, deliria quoque, quid? quod mania omniumque sensuum torpor in iisdem observari soleant. - Ex improviso saepius tremores artuum et convulsiones accedunt, in hystericis pedum vacillatio, vertigo vel et animi deliquia, extremitatum utrarumque interdum stupor, fere paralyticus. Magna est affectionum nervosi systematis, gravissimarum saepe, ex Taenia ortarum cohors; quot enim exstant Taeniosorum epilepsia, catalepsi, choraea Sti Viti, hypochondria, hysteria, mania et similibus affectorum exempla!

E signis modo allatis omnibus, plus minusve fallacibus, neutiquam characteristicis, certe et tuto ad Taeniae in homine praesentiam concludere non licebit; ideoque ad confirmandam diagnosin nostram, vermis

<sup>21)</sup> De Haen ratio med. Tom. XII. p. 219.

ipsius maiorum minorumve portionum per alvum deiectione repetita opus erit, quae fructuum acidulorum maturescentium tempore observatur frequentissima.

## II. Aetiologia,

Cum vermium intestinalium, tum Taeniarum productionis causam proximam in alienata vegetatione, ea inprimis, quae in canali intestinali vigeat, utplurimum debilitata et productum abnorme gignente, semper fere ponendam esse censeo. Quidquid igitur vegetationis processum abnormem reddit et reproductionem deprimit, causam helminthiaseos sistere potest.

Innasci vermes licet nequeant dispositionem tamen innatam existere posse, quae vermibus generandis faveat, i. e. diathesin asthenicam, praesertim in systemate reproductivo, vasorum absorbentium et tractus intestinalis radicatam, experientia abunde docemur (Rosenstein <sup>22</sup>), Rougemont <sup>23</sup>). Totas enim familias Taenia laborasse constat; in Helvetia ut exemplum adducam, vixit familia, cuius individua omnia certa eademque aetatis periodo Taeniae causa amaurotica fiebant.

Aetatem quod attinet, Taeniae saepe sub iuventute, sed serioribus forsan annis aeque frequentes sunt.

23) Rougemont Abhandlg. über d. erbl. Krankheiten a. d. Franz. übers. v. Wegler. Frankf. 1794. S. 127.

<sup>22)</sup> Nils Rosen von Rosenstein Anweisung z. K. u. Kur d. Kinderkrankheiten. Uebersetzt u. mit Anmerk. von Joh. Andreas Murray. Götting. 1798.

Actatem infantilem, etsi morbo verminoso prac reliquis vitae stadiis maxime obnoxiam, Taenia tamen rarius laborare, non est, quod moneam; minime tamen cum medicis quibusdam, praecipue Anglicis, contendere ausus sim, Taenias in infantibus nunquam occurrere, cum obstent observata cell. Heim, Wichmann, Wendt, Henke et recentiorum Helminthologorum; quid? quod Schönemann infanti, dimidium vix annum agenti, triginta Taeniae ulnas expulit. Cave tamen, ne cum auctore Hippocratico Taeniam semper in foetu nosci assumas, quamvis enim in foetu aeque bene ac in adulto et quovis facile tempore generari possit, rarius tamen in foetubus observatur, mediam potius aetatem invadens (Rud.)

Sexus. Feminis, utpote ex natura sua debilioribus jam et sensibilioribus, Taenia magis familiaris esse videtur quam viris, quod quidem cell. Pallas, Werner et Rudolphi exemplis pluribus comprobarunt et experientia quotidiana confirmat. Ex Taeniosis centum et sexaginta sex, quos Schmidt curandos suscepit quindecim modo fuerunt viri.

Victus vitaeque ratio. Nutrimenta lacte, muco copioso vel farina scatentia, cibi plerumque vegetabiles, parum nutrientes, potulenta relaxantia et debilitantia, vegetationem pervertendo et deprimendo Taeniarum origini ansam saepe praebent, ideoque pauperes frequentius opulentis Taeniosi, quamvis et hi, praesertim e sexu sequiori, Taenia non raro laborent,

cujus asserti exempla novisse cel. Pallas 24) refe et ill. Rudolphi ipsius imperatoris Taeniosae exen plum cognitum habuit. - Piscium aliarumque substat tiarum facile putrescentium esus eo praesertim tempor quo theoria florebat de vermibus extrinsecus ciborui et potuum ope organismo advectis, causa Tacniae ess saepius inculpatur, quia in Suecia tam frequenter of currat; quod vero ita se non habere, ex eo perind concludere licet, quod Taenia in iis regionibus no minus frequens sit, ubi pisces raro aut vix comedur tur e. g. in Helvetia. Qua propter terra potius quan natio ejusque diaeta Taeniarum ortui favere mihi vide tur. Nonne etiam nimia alimentorum assumtorum co pia, plus materiae nutrititiae organismo suppeditans quam digestio etsi optima, subigere valeat, itaque vege tationem pervertendo cum vermium tum Taeniarun genesi locum concedere possit? - Vita quoque seden taria, aerumnis curisque atris vexata et habitatio in loco humido, aëre incluso et corrupto Taeniae produc tionem promovet.

Anni quoque tempora in generationem istaminfluere videntur; auctumno enim helminthiasis frequentissima, quod forsan inde explicandum, quod eo tempore affectiones membranae mucosae praedominari soleant.

Praeter morbos supra jam dictos et mentis morbi

<sup>24)</sup> Pallas in d. neuen nord. Beiträgen. Petersb. u. Lpz. 1781, p. 106,

processum vegetationis alienando et debilitando, indirecte vermium origini ansam praebere poterunt.

Existent tandem constitutiones epidemicae verminosae, morbi sc., praesertim febres, in quibus sub opportunis circumstantiis, vermes vel facile secedunt vel symptomata propria suppeditant, singularem morbis regnantibus formam conciliantia. Talem, quae epidemice grassabatur, constitutionem verminosam egregie depinctam a cel. van d. Bosch, alteram a Consbruchio (1795 — 96) et ejusmodi alias, ab aliis auctoribus descriptas, legere licet. (Morgagni, Morteau, de Granvillier, Marchand, Raulin, Berge, Sagar, Lepecq, de la Cloture.)

## III. Prognosis.

Helminthiasin morbis adnumerandam esse, nune quidem medicorum nemo ignorat, quamvis exstiterint alii, qui contrarium contenderent, cum organismo etiam sano longum per tempus vermes intestinales saepissime immorentur nulloque medicamento adhibito dispareant; aliique fuerint, qui (mirum dictu) morbum verminosum pro salutari habuerint, si quidem vermes motum peristalticum tubi alimentaris adaugeant pulmonumque et reliquorum viscerum evolutionem aetate infantili adjuvent (Abilgaard et Gautieri). Goetze etiam vermes homini saluberrimos censuit, cum subslantias intestinis inimicas consumerent. Ex observationibus autem virorum, quibus fides habenda est maxima, abunde elucet, vermibus vertiginem, amaurosin,

anorexiam, colicam, vomitum, cephalaeam, extrem tatum inferiorum paralysin, spasmos et convulsione choraeam Sti Viti, epilepsiam etc. excitata vermibus que anthelminthicorum ope expulsis, sanata fuisse.

Quo facilius igitur Taenia ex organismo affecte expelli potest, eo melior Prognosis et vice versa; Tae niam autem depellendi difficultates maximae, cum ver mis hic cellulis intestini colon firmiter inhaerere et purgantibus, etsi drasticis, pertinaciter saepe et diutissime resistere soleat. Incerta igitur semper Prognosis et maxima cum circumspectione statuenda, quamdiu caput vermis nondum apparuerit; quid? quod capite etiam Taeniae ex ano depulso, num plura ejusmodi individua in aegro simul adsint necne, recte quaerendum; Nitretum enim octodecim Taenias feminae cuidam depulisse, supra jam memoravimus, infraque legemus, Schmidtium virgini octodecim annorum Taenias expulisse septemdecim.

Organismo etiam hospitibus istis inimicis liberato, reproductionem eorum novam praecaveamus et alienatam tubi intestinalis vegetationem ad normam reducamus, necesse erit; quod maximis saepe premitur difficultatibus et medici periti artem non raro eludere videtur. Quo diutius ergo malum perduravit, quo major eiusdem gradus, eo difficilior sanatio.

Periculum augent complicationes morborum acutorum, febris inprimis, charactere nervoso plerumque distinctac, haud merito verminosae dictae, et aetas infantilis. Bona igitur Prognosis in Taeniosis non solum a dejectione vermis una cum capite et subsequente molestiarum levamine vel cessatione, si non constante, saltem fugaci dependet, sed ab exstincta etiam organismi, praesertim primarum viarum, ad producendos alendosque vermes dispositione.

Helminthiasis ex Taenia morbum exhibet per se quidem graviorem, minime tamen lethalem ideoque metuendum potius ob sequelas, quas provocat, saepe perniciosissimas, convulsiones, epilepsiam, catalepsia, choraeam St. Viti, apoplexiam, tetanum, trismum aliasque, periodico plerumque typo distinctas affectiones.

Parietum intestinorum hominis perforatio, semper fere lethalis, vermibus vulgo praesertim a Veteribus, adscripta, a pluribus jam, Wichmanno 25 aliisque merito in dubium vocabatur, donec Ill. Rudolphi disquisitionibus luculentissime comprobavit, perforationem talem a vermibus effici non posse, cum organis ad hanc operationem necessariis omaino careant. Wedekindi 26 etiam sententia, herniarum incarcerationes vermibus saepe excitari, Bremseri 27 argumentis validissimis refutata est.

<sup>25)</sup> Wichmann, Ideen znr Diagnostik. Hannover. Bd. 3, S. 85.

<sup>26)</sup> Richter's chirurg. Bibliothek. Bd. 8. S. 79.

<sup>27)</sup> Bremser l. c. p. 139 - 142.

# Pars tertia.

## Therapia Taeniae humanae.

lety sed ab excitava etiam erza-

Multae et diversissimae cum exstiterint ex manca quin etiam falsa, rerum helminthicarum cognitione pro fluentes Veterum theoriae de vermium origine et na tura morbosisque inde natis affectionibus; curam quoque causae hujus, tot tantaque mala producentis multifariam et diversam remediorumque contra vermes adhibitorum copiam fuisse ingentem, non est quod moneam. Et nunc quoque, nova licet lux cell. Rudolphii et Bremseri opera studiisque in Helminthologiam exsplenduerit, major tamen, quam par est, remediorum anthelminthicorum apparatus materiae medicae libros explere solet. Nec mirum, quamvis enim remedium anthelminthicum stricte sic dictum hucusque in rerum natura cognitum non sit, i. e. tale, quod in quovis organismo vermem omnem in quocumque loco haerentem, ex natura sua vermibus directe inimica, specifica quasi, veneni adinstar certo et tuto enecare eumque depellere queat; ex altera tamen parte nullum fere existit medicamen, quod non sub certis et organismi et mali conditionibus, fors aliarum etiam rerum hucusque non rite perspectarum confluxu, anthelminthici vices agere vermesque intestinales aut interficere aut

expellere, quin imo utcumque praestare potuerit. Quid? quod emetica ipsa vermes expulerunt. (Vogel.) 28)

Priusquam curam antitaeniosam adgrediamur, adesse Taeniam evincamur oportet, quae si sponte per alvum exonerata nondum majoribus minoribusve fuerit portionibus, variae a medicis pluribus propositae sunt ad eandem depellendam methodi. Quem in finem Terebinthinae drachmas sex, ope vitelli ovi in aquae libra solutas, intra bihorium ante somnum consumi commendant Thilenius et Kaempf, qui nocte jam aut mane altero frustula Taeniae inde decessisse observarunt. Laudatur etiam in eundem scopum acidum carbonicum, quare omni hora cochlear parvum (quod coffeae vocant) magnesia repletum et subsequens statim eadem cremoris Tartari quantitas aegro porrigitur, usu remedii hujus per diem unum alterumve continuato (Meyer). 29) Fraga quoque singulorum Taeniae fragmentorum secessum effecisse dicuntur, sive aëris carbonici evolutione, sive mechanica potius ratione effectum hunc praestiterint. (Vogel.) 30) Eadem ex causa Bremser jejuno ventriculo, duas tresve pulveris radicis Filicis mar. drachmas, insequuto laxante, sumi jubet, monens simul, ut radix bona sit, extremo superiore resecto recente, inferiore autem vetustiore a cor-

<sup>28)</sup> R. A. Vogel de usu emeticorum ad vermes eliminandos. Götting. 1765.

<sup>29)</sup> Meyer im Journal der Erfind., Theor. and Widerspr. St. 22. S. 127.

<sup>30)</sup> Vogel im Journ. d. Erfind. u. s. w. St. 23. S. 124.

denique temporibus Schmidt, 31) Taeniam ades suspicatus, quin partes ejus alvo jam dejectae fuerir vesperi aegro alecem acetarium porrigi multumquaquae saccharo mixtae superbibi jubet, praescribe mane sequenti ventriculo jejuno pulverem ex rad. J lappae granis XV., semin. Cynae scrup. dimidio, gun mi Gutti et Hydrargyri muriatici mitis anaticis gran sex, Elaeosacch. Tanaceti drachma compositum, cu superbibat aegrotus potum coffeae copioso syrupo con ditum aut jusculum carnis larga butyri quantitat confectum.

Curam antitaeniosam ipsam in palliativam, quae symptomatum morbosorum amotionem et Taeniam ip sam vel vivam vel mortuam expellendam respicit, et in radicalem distinguimus, i. e. talem, quae vermium regenerationi praecaveat, vegetationem praesertim in tubo alimentari vigentem atque reproductionem restituendo et roborando.

## I. Cura palliativa.

Cura haec variis innititur experimentis cum vermibus extra corpus animale in aëre, aqua aliisque liquoribus institutis unde Taeniam vita inter omnes vermes intestinales respectu intensitatis gaudere maxima abunde elucet, eamque aquam salinam minus ferre,

<sup>31)</sup> C. A. Schmidt sen. in Hufeland's und Osann's Journ. VIII. Stück. 1828.

qua de causa remediorum salinorum, curam rigorosam antitaeniosam saepe praeparantium, major observatur interdum effectus, quam quem purgantia et fortissima e regno vegetabili praestare soleant.

Quodsi praeterea morbi cujusdam gravioris aut periculosi complicatio aderit, hunc prius amovendum esse per se patet. Etenim Taeniam expellendi difficultas, longius, quod huic operi impenditur, tempus, ipsa tandem anthelminthicorum, insigniter plerumque stimulantium, adplicatio morbum istum graviorem jam facile exasperare et periculum adaugere queunt.

Symptomatibus autem verminosis forsitan gravioribus, quin et periculosis, repente saepius exortis, uti doloribus atrocibus, convulsionibus, enuresi etc. optime occurrendum erit remediis demulcentibus, lenientibus, quae Vogel praecipue anthelminticis praemittenda commendat; alimentis quoque Taeniae amicis, e. g. lacte pro potu aut in clysmatibus propinato, quibus vermis ex intestinis tenuibus in crassiora, minori sensibilitate instructa, depellatur. Eidem fini etiam inserviunt oleosa in clysteribus adhibita. Prosunt praeterea interne antispasmodica, Chamomilla, Valeriana etc. emulsio cum extracto Hyoscyami, Opio, Asa foetida; contra spasticas affectiones Extractum Absinthii cum vino multum laudatur, externe abdomini adplicentur inunctiones oleosae vel cum Opio vel sine hoc, cataplasmata ex aqua frigida vel antispasmodicis, Cicuta, Hyoscyamo etc. parata.

Alteram curae palliativae partem, Taeniae ip-

sius expulsionem, nobis exposituris, de anthelminthicis disserendum erit, quorum alia vermes revera eneeant, alia vero vi inimica, specifica quasi, eosdem molestant, alia motum tubi intestinalis peristalticum augendo,
alia tandem roborando digestionis apparatum agunt,
quaeque omnia ab auctoribus variis varium in ordinem
disposita, in mechanica, specifica et purgantia,
dividere liceat.

# A. Anthelminthica mechanica.

Huc spectant:

1. Stannum purum et granulatum, a Paracelso primum contra vermes adhibitum, ab Alstono iterum introductum, a cell. van Swieten, Pallas, Bloch, Marsc, Brera, Thilenio aliisque merito commendatum, Taeniae Solio depellendae inservit, ad unciam unam et semis cum syrupo propinatum, laxante plerumque superaddito. Colicae saepe atroces, et spasmi inde producti limaturae stanni debentur, quae Taenias licet laceratas et mortuas sistat, monente cel. Pallas, tractum tamen intestinalem nimis irritando affectiones istas ciere solet; quare Stannum granulatum, mitius quidem agens, praeferendum erit.

2. Carbones lignorum, in pulverem redacti, quos Islandi contra vermes adhibent, in cel. Pallas\*) experimento Taeniae quoque portionem depulerunt, ulteriore igitur indagatione digni.

<sup>\*)</sup> Pallas l. c. p. 57.

# B. Anthelminthica specifca.

Ad haec, diu saepe pro arcanis vendita, referenda mihi videntur:

1. Aqua frigida, anthelminthicorum omnium simplissimum, a cel. Rosenstein, Daryin, Pallas aliisque specifici nomine insignitum, vermibus, utpote calido loco natis ibique semper nidulantibus, magna si ingeritur copia, exitiosa fiat necesse est, dummodo conclusio valeat ex aëre frigido vermibus intestinalibus intolerabili. Maxima tamen cum circumspectione aqua adhibenda erit, cum praesertim Darwin et van Swieten elysmata ex aqua glaciali adplicanda proponant. Anthelminthicam aquae frigidae vim Rudolphi ita explicat, ut ventriculi, saxo quasi oppleti, sensatio in intestina, forsan propagetur vermesque, aqua assorpta copiosa turgidi facti, a sedibus suis amoveantur facileque diluantur. Aquae igitur sale saturatae majorem etiam efficaciam, quam aquae communi cel. Darvin, Faxe, Pallas merito adscripserunt, recte tamen monente Rudolphi, tubum intestinalem nimis inde debilitari vel diarrhoeam facile oriri.

Aquam cum Mercurio coctam, quam Mönch 12) contra vermes laudavit, non Mercurio, qui adhaerentibus forsan plumbi particulis et nocere posset, sed aquae ipsi, larga quantitate ingestae, vim vermibus ini-

<sup>32)</sup> Conrad Mönch, Systemat. Lehre v. d. Arzneim. Marburg 1792. p. 283.

micam debere facile crediderim. Löffler 33) pilulas glaciales, omni sexagesima horae parte assumendas commendat.

Huc denique pertinent aquae et fontanae thermales, in specie ferro impraegnatae, quibus Taenias, praesertim latam, depulsas fuisse, pluribus comprobatur
exemplis. Huc quoque referenda est antitaeniosa Darellii methodus, a Werlhofio ob effectum egregium
laudata, qua aegro praescribitur Tinct. Rotheni
(cui etiam est nomen tincturae Catholicae purgantis
vel elixirii purgantis Michaelis) et larga superbibitur
aquae frigidae copia.

- 2. Oleum Chaberti vel oleum s. d. anthelminthicum Bremseri, qui accuratius dosim ejus determinavit, ex olei animalis empyreumatici parte una tribusque olei Terebinthinae destillatione per quatriduum compositum, egregium sistit antitaeniosum, quod a viris celeberrimis, quibus fides habenda, optimo cum eventu contra Bothriocephalum latum adhibitum est, Taeniam autem Solium paulatim modo enecare eamque nequaquam depellere videtur. Dosis ad cochlearia parva duo bis per diem cum aqua sumenda determinatur; sed et parva hac olei istius quantitate haematuriam saepius productam fuisse ipse observavi.
- 3. Oleum animale Dippelii non exiguum, minorem tamen praecedente oleo effectum in expellendas
  Taenias praestitit.
  4. Oleum

<sup>33)</sup> Löffler in Hufeland's Journ. d. pract. Heilk. 1810. St. 7. S. 111.

4. Oleum Terebinthinae, minoribus aeque ac magnis dosibus exhibitum, magna pollet in Taeniam depellendam efficacia. Terebinthina jam interne assumta, Taeniae frustula saepius depulit, quapropter forsan in casibus ambiguis diagnosi certiori reddendae inservire posse mihi videtur (vide supra). Oleum Terebinthinae ipsum antiquioribus jam temporibus in Suecia remedii popularis contra Taeniam dignitate gaudebat, recentiori quoque aevo qua praestantissimum antitaeniosum ab Angliae medicis 34) laudatum. Sed remedium adeo stimulans in robustis modo et torpidis individuis magnis, quas illi laudant, dosibus adplicandum et tunc quoque facile perniciosum esse censeo, maximaque semper sub ejusdem usu circumspectione opus erit. Unum jam hujus olei, vitello ovi subacti, cochlear vomitum et diarrhoeam, atrocissimis stipatam doloribus colicis, produxisse expertus est Sundelin 35) ideoque Bremser illius usum parvis modo dosibus continuatum, certiore contra Taeniam effectu excellere asserit, quam enormes a Britanniae wedicis, Burrows, Thomson aliisque commendatas portiones, ventriculo jejuno uncias olei duas, alvoque clausa,

<sup>34)</sup> Laird in den Göttinger gelehrt. Anzeig. 1811. St. 117.

Ferwick in der Salzb. med. chirurg. Zeitg. 1815. Bd. 4.

Kennedy u. Darwal im Lond. med. Repository. 1823. April.

Osann in Hufelands Journ. Bd. 43. St. 3. S. 31.

iteratam dosin praescribentibus. Nunc quoque fre quentius in usum venit et Hildenbrand 36) optimo cum successu ter quotidie guttas decem cum saccharo ordinavit. — Casum memorabilem narrat Carresi 37), qui duabus olei Terebinthinae unciis, in duas divisis portiones, aegrotam quandam malacia affectam Ascaridibus pluribus et Taenia sexdecim ulnarum liberavit, quo facto perversus in cretam appetitus evanuit.

- Acgypto praecipue contra Taeniam qua remedium domesticum laudatum (Hasselquist) 38) connubio cum oleo Terebinthinae adhuc efficacius, Tacnias enecat. Guttae ejusdem XX. vel XXX. per aliquot dies propinantur, cathartico deinde superaddito. Una dosis saepe jam suffecisse dicitur. Mixtio ex Essentiae Asae foetidae et Petrolei ana drachmis dex, per biduum continuata quaternis vicibus ad guttas quadraginta, tertio autem die omni trihorio cochleari parvo ingesta, continuum Taeniae portionum secessum produxit et diutius continuata curam radicalem absque ullis molestiis effecisse dicitur (Schwarz). 39)
- 6. Camphora vi, qua paudet, antiseptica, vermibus inimica, non Ascarides modo lumbricoides, sed

<sup>36)</sup> Valent. nob. ab Hildenbrand rat. med. Tom. I. p. 110.

<sup>37)</sup> Hecker's Annal. d. gesammten Heilkde. 1827. Januar.

<sup>38)</sup> Friedr. Hasselquist's Reise nach Palästina in den Jahren 1749 — 52. A. d. Schwed. Rostock 1762. S.

<sup>39)</sup> Schwarz in Hufeland's Journ. der pract. Heilkde. Bd. 12. St. 3. Bd. 13. St. 4.

Taenias etiam depulit. Maxime arridet formula cel. Moscati, qui Camphorae drachmam semis cum gummi arabici drachma in aquae libra dimidia solutam refractis dosibus offert.

- 7. Cortex Geoffreae Surinamensis nec cum cortice Geoffreae Jamaicensis, nec cum cortice Mezerei commutandus, egregium caeteroquin anthelminthicum, Taeniae portiones tantummodo ejecit eamque vix integram depellet.
- 8. Radix Polypodii Filicis maris, bene distinguenda a radice Filicis feminae, radice Aspidii spinulosi et a radicibus Pteridis aquilinae, antitaeniosorum omnium sistit celebratissimum et antiquissimum, cujus mentionem jam facit Dioscorides 46), cuique Plinius 41) et Galenus 42) vim vermibus venenificam adscripserunt: ingreditur etiam plures, quae contra Taenias laudantnr, compositiones. Duae plerumque vel tres praescribuntur pulveris hujus radicis drachmae, sub forma boli optime exhibendae. Sed medicamentum valde nauseosum, quod, nisi cum drasticis aut purgantibus saltem propinetur, effectu carere et tum ne tutum quidem esse videtur, monente Ill. Rudolphio, quamvis Matthieu (vide infra) in medicamine suo antitaenioso egregio radicem istam omnium principalem praedicet et Richter sola radice Filicis m.

41) Plinius hist. natur. lib. XXXIII. cap. IX.

<sup>40)</sup> Dioscoridis M. m. lib. IV. cap. CIVI.

<sup>42)</sup> Galeni meth. med. lib. XIV. cap. XIX. Edit. Kühn.

ad drach. semis omni bihorio 14 dies et ultra propinata Taeniam expulerit, quin ullo remedio alvum movente vel et laxante opus fuerit.

Usus hujus radicis suis interim premitur difficultatibus, excepta enim commutatione, quae facile contingere potest, cum aliis radicibus supra dictis, quibus substantia antihelminthica deest, radices creberrime longissimo tempore confectae et exarefactae in usum trahuntur, tempore optimo montosisque siccisque in locis non semper collectae. Magna quoque radicis, ut effectum exoptatum praestet, assumendae quantitas frequentissime ventriculum male afficit et vomituritiones, cardialgias, colicasque gignere solet.

9. Oleum Filicis maris Peschieri, a Morino, \*3) qui primus radicem Filicis cum Aethere sulfurico extraxit, jam detectum, a Peschiero \*\*) Genevae pharmacopola, denuo exploratum et ab ejusdem fratre medico in remediorum antitaeniosorum numerum receptum, Buchnero \*5), qui radicem cum alcohole extraxit, Extractum Filicis m. resinosum audit, rectius forsan, cum et oleo pingui et resina constet, Extractum oleo-resinosum Filicis appellari meretur

<sup>43)</sup> Morin s. Berlin. Jahrb. d. Pharmacie. XXVI. 2. 1825.

<sup>44)</sup> Nouvelle Bibliothèque méd. Sept. 1825. p. 151. Archiv. f. medez. Erfahr. v. Horn. Sept. 1826. p. 350. Berlin. Jahrb. XXVIII. 2. p. 101.

<sup>45)</sup> Buchner's Repertor. XXIII. 3. 1826. p. 433.

(Michaelis) \*\*). Nostro quidem aevo maximam sibi promeruit antitaeniosi specifici laudem, cum omnes sub usu radicis Filicis m. difficultates et molestiae non spernendae oleo isto plane tollantur, in quo simul sapori valde ingrato, quo radix praedita est, praecavetur et dosis accuratior determinari potest quam in pulvere radicis, efficaci modo parte in oleo porrecta, reliquis autem radicis partibus, quibus non inest vis anthelminthica, exclusis.

Cujus olei adhibendi ratio simplicissima ex pluribus innotuit ephemeridibus <sup>47</sup>), vel in electuario vel pilulis propinatur, emulsionis etiam formam admittens. Aegrotus, qui cibis diutius se abstinuit, vesperi aut electuarii aut pilularum, quibus olei guttae triginta ad quadraginta et debita constituentis cujusdam remedii idonei inest, partem dimidiam consumit, altero deinde die mane jejunus alteram et bihorio post utramque dosin elapso laxans, non drasticum tamen ideoque aut oleum Ricini aut infusum Sennae compositum ingerit. Primis jam alvi evacuationibus educitur plerumque vermis sine omnibus molestiis, convolutus saepissime

<sup>46)</sup> Michaelis im Jonen. d. Chir. u. Augenheilk, v. Graefe u. v. Walther. XII. Bd. 3 Heft. 1829.

<sup>47)</sup> Froriep Notiz. v. d. Gebiete d. Natur- u. Heilkde. Bd. 12. p. 143. Bd. 13. p. 76.

Gerson u. Julius Magazin. Bd. II. p. 153.

Horn's Archiv f. mediz. Erfahrung. 1826. Sept. Okt. p. 350.

Hufeland's u. Osann's Journ. d. pract. Heilkde. Bd. 61. St. 6. p. 144. Bd. 64. St. 1. p. 135.

in glomerem, quare aeger nullas evolvendi ambages habet. Nunc quidem Peschier sexaginta olei hujus quod ab eo nomen traxit, guttas praescribit, dosimistam innocuam semper, fallacem nunquam? praedicans. — Emulsionis formam effectu plane carere, licet testetur Peschier, refutare videntur argumenta a Kahleis 48) prodita, qui prospero cum eventu oleum Filicis non in pilulis, sed ope vitelli ovi cum saccharo et aquae florum Aurantiorum uncia in emulsione homogenea non ingrati saporis praescribebat.

Innumera fere hucusque prolata sunt documenta 43) ab experientissimis medicis, quae vim remedii hujus Taeniaefugam evidenter comprobant, eo praesertim reliquis anthelminthicis praeferendi, quod organa digestionis vix afficiens, nec nauseam nec dolores colicos excitans, cito agat tutoque, ab aegris sat libenter receptum.

Mirandum omnino, quod et hoc Extractum oleoresinosum, exemplo radicis Filicis m., vim efficacem in Bothriocephalum latum exserat insignem, exiguam vero in Taeniam Solium, cujus singula modo membra inde ex-

<sup>48)</sup> Kahleis in Hufeland's u. Osann's Journal III. St. März 1829.

<sup>49)</sup> De Filicis maris oleo diss. inaugur., auct. H. L. M. Boretio. Regim. Boruss. 1827. p. 24 — 49. Horn's Archiv. Jahrgang. 1828. Sept. Oct. v. Graefe u. v. Walther. l. c. 1829. 3. Heft.

Verhandlungen der med. chir. Gesellschaft des Kantons Zürich in d. Herbstsitzung des J. 1827. Heft III. Züyich 1828.

pelli dicuntur. Attamen Peschier et hanc Taeniarum speciem eodem remedio necari et educi posse asserit, aegroto sc. jejuno mane hora dimidia post assumtas pilulas clysmata ex drachma semis olei Filicis m. cum amyli semiuncia contriti et in aquae to idae unciis duodecim soluti parato, alvum ducendam esse docens.

10. Cortex radicis Granati, quo incolae St. Domingo jam dudum, nullo suadente medico, ad vermes quoslibet expellendos usi sunt 50, verum sistit antitaeniosum, recentiori tempore a medicis Gallicis et Anglicis commendatum. Buchanan 51 Britanniae medicus, primus in Europa medicamen hoc publici juris fuisse videtur; ab eo inde tempore Breton 52, medicus in exercitu Indiae orientalis Britannicus et Gomez, medicus Lusitaniae celeberrimus, de hoc remedio bene promeruerunt, eorumque auctoritatem plures Galliae, Angliae paucique Germaniae medici sequuti sunt, quorum experimenta prospero fere semper successu donata fuere.

Quod formas attinet, quibus adhibitus est cortex rad. Granati, pulvis omni hora ad scrup. duos aquae

libra man et dinddie ad colatarum unclosum

<sup>50)</sup> Vide Nouvelle Bibliothèque médicale. Il année. Tome 6ième.

<sup>51)</sup> Buchanen of an Indian Remedy for the Tape-Worm, Edinburgh.

Medical and surgical Journal of Edinburgh. Voll. fascic.

Bremser l. c. p. 174.

<sup>52)</sup> Medico-chirurgical transactions. Voll. XI. pars 2. Hufeland u. Osann l. c. 1822. Jan. I. Stück.

immixtus aegris propinatur, mitior quidem et levioris pretii quam decoctum, nec nauseam et vomitum, nec diarrhoeam colicamque, nec vertiginem produxit; quae quidem molestiae usum saepe decocti excipiebant, in gravioribus tamen casibus isti omnino praeferendi.

Bourgnoise \*3), qui uncias duas corticis in aquae libris duabus per horas viginti quatuor macerari, deinde ad dimidium coqui et tribus unciarum quatuor dosibus aegroto propinari jussit, ceterique Galliae medici, qui eum sequuti sunt, quorumque me dendi ratio eo certe reliquis praestantior, quod diaeta tenui praescripta medicamenti vis admodum sustentatur, macerationem corticis per horas viginti quatuor, priusquam coquatur, suadent, quae efficacibus modo partibus eliciendis inserviens imitatione digna videtur.

Methodus autem a Gometz 54) laudata, qui decocti ex unciis duabus corticis rad. gran. cum aquae
libra una et dimidia ad librae unius colaturam parati
aegro jejuno omni horae dimidio uncias duas vel tres
hauriri jubet, magis omnino arridet quam Bretoni 55)
qui uncias duas corticis rad. gran. recentis ex aquae
libra una et dimidia ad colaturam unciarum novem
coqui hujusque decocti mane singulis horis dosin accuratius non indicatam aegris porrigi jussit, cum per

<sup>53)</sup> Vide v. Froriep l. c. No. 209. May. 1825.

<sup>54)</sup> Journal complementaire du dictionnaire des sciences médicales. Juin 1823.

<sup>55)</sup> Medico-chirurgical transactions. Vol. XI. Part. 2. Hufeland u. Osann I. c. 1822. 1 Stück. Jan.

illam Taeniae, muco utplurimum copioso involutae, majori remedii quantitati et vi expositae, celerius et tutius depelli queant, et curae repetitio, quam Gomez, si eventus exoptatus non successerit, commendat, non obstante Breton, experientia abunde comprobetur.

Medendi ratio in Policlinico 56) regio Berolinensi, auspiciis Ill. Hufelandii et Cell. Osann usurpata partim quod diaeta strenua, vermibusque inimica imperetur, partim quod purgantia postea adhibeantur et pluries repetatur cura, donec morbi symptomata plane evanuerint, denique quod alia medicamenta idonea interponantur, omnibus aliis praeferenda esse videtur.

Corticem rad. Granati remedium esse antitaeniosum efficacissimum, experimentis <sup>57</sup>) pluribus luce clarius evictum est ita, ut momenta eruenda et dilucidanda supersint, quibus irritus corticis hujus in paucis casibus usus merito adscribi possit. Boiti <sup>58</sup>) radices fruticum in regionibus montosis, incultisque sponte

<sup>56)</sup> De cortice rad. Granati dissertatio inaugur., auct. Roberto Stehr. Berol. 1829. p. 44 - 48.

<sup>57)</sup> De usu corticis rad. Granati, Dissert. inaug., auct Franc. Place. Berol. 1825.

Ebers in Hufeland's Journ. 1828. Stück I. Jan. Siehr l. c.

Horn l. c. 1829. Jan. u. Febr.

Delaporte in La Clinique des hôpitaux. 1829. No. 9.

<sup>58)</sup> Specielle Therapie von A. G. Richter herausg. von G. A. Richter. Berlin. 1828. Bd. X. S. 415.
Révue encyclopédique. Bd. 38. S. 234.

crescentium tenerrimas adhibendas esse contendit, quas solas, non ultra pollicem crassas, ab omni ligno liberatas et aëre, non sole fulgente aut calore artificiali siccatas, efficaces esse existimat. Quae tamen opinio argumentis, quae extant, pluribus refutari videtur, praesertim observationibus, notatu dignissimis Cel. Wolff 59 qui ter Taeniam integram cortice radicis Granati (arboris in horto Bonnensi per viginti annos cultae) ejecit.

Nihilominus et hujus corticis non aliam esse rationem ac aliorum remediorum vegetabilium, quorum efficacia ab aëre et terra, in qua planta crescit, pendeat, jure concedendum erit; quapropter pharmacopolae nostri corticem aut indicum aut lusitanum saltem aut italicum, haud dubie multo efficaciores, in promptu habeant necesse est. Tempus etiam, quo colligitur, non exigui pro vi medica momenti esse videtur ita, ut cortex ante arboris florescentiam collectus majori, quam postea, efficacia imbutus esse videatur.

Num cortex exsiccatus recente efficacior sit, ut asserit Breton, quaeritur adhuc, cum in arboris patria optimo cum successu recens semper in usum trahatur.

Aliud sat grave momentum, cui irritus interdum corticis Granati usus adscribendus sit, in eo collocamus, quod cura tempore non opportuno instituta fuerit. Gomez quidem tempus, quo Taeniae membra singula et partes sponte alvo exonerentur, eapropter exspectari jubet, quod haud secus ac Bremser Taeniam non membrorum novorum annexu, sed formatorum

jam evolutione crescere affirmat, qua evolutione finita, partuque excussa, membra disjungi et disjuncta perire dicit et hoc quidem illud esse tempus, quo aegroti dolores percipiant vehementissimos et vermis remediis ipsi inimicis facillime cedat.

Affectiones illae, quae corticis rad. Granati usum saepius excipiunt, nausea nimirum, vomituritiones, vomitus, colica, diarrhoea, vertigo, utrum medicamento excitentur, an potius vermi ipsi vehementius agitato anxieque per intestina venenum fugere coacto debeantur, ambigitur: verisimilior omnino altera opinio, cum incommoda ista post horam circiter elapsam plerumque evanescere, nec, remedio iterum mox assumto, redire soleant.

Nec negligenda est Bretoni sententia, secundum quam cortex trunci Granati eadem, qua radicis cortex, utilitate gaudere visus est, eo ceterum huic praestantior, quod plures per annos, haud imminuta efficacia, conservari queat.

Cortex igitur Granati, vi sua Taeniis lethifera insignis, inodorus, ab aegris libenter ingestus, uec hominis valetudinem unquam pessumdans, remedium exhibet antitaeniosum revera specificum, cum et extra corpus humanum Taeniae vivae adhuc vel in decoctum vel in aquam pulvere Granati mixtam immersae celerrime interficiantur. Praeferendus ergo hic cortex omnino erit aquae frigidae, spirituosis et oleis aethereis foetidis, quae, cum Taeniam e corpore expulsam cito tutoque enecent, Ill. Rudolphi sola anthelminthi-

eorum nomine revera digna csse existimat; etenim nec aqua frigida nec spirituosa, quamdiu Taenia in intestinis residet, tantis dosibus adhiberi possunt, ut interficere eam valeant, olea vero aetherea foetida ab aegris plurimis ob saporem odoremque ingratissimum respuuntur. Quid? quod cortice Granati solo, qui Taeniam, nullo adjuvante remedio, expellere solebat, euram quoque radicalem perfici et morbum radicitus tolli posse, cum tantum principii adstringentis insit, ut intestinorum secretio et vegetationis alienatio atque debilitas, dummodo cortex repetitis vicibus ingeratur, ad statum normalem inde redeant, experimenta plura argumentari videntur.

# C. Remedia purgantia.

Taenias, specificorum medicaminum ope interfectas, nisi alvus simul laxetur purgantibus, interdum fortissimis, eliminari oportet, quae ovula vermium et mucum fere semper uberius accumulatum simul educant. Quae hunc in finem laudantur, purgantia vel ante vel post specifica vel una cum his porrecta, suadente Rudolphio, in tres disponi possunt ordines, aut enim salina sunt aut olea pinguia aut drastica.

#### mulboook at the on I. Salinacional management

Sal mirabile Glauberi a Weigelio 60), quem etiam Hufelandius 61) sequutus est, ob vires anti-

61) Hufeland l. c. Bd. 1. St. 3. p. 439.

<sup>60)</sup> C. E. v. Weigel Progr. de antihelminthicis et euporisto contra Taeniam. Gryphis. 1796. 4.

helminthicas laudatum, alvum et digestionem augere et in casibus quatuor enumeratis, in quibus autem praeter solutionem Sulfatis sodae dilutam elixirinm etiam Vitrioli et acidum sie dictum Halleri simul oblatum est, Taeniae Solii portiones cum aegrorum levamine depulisse, integras tamen non ejecisse dicitur. Itaque, recte monente Rudolphio, et hoc, aliorum salinorum more, alvum quidem facillime ducere, contra Taenias vero sufficere non poterit, sed intestina simul debilitando mucum et diathesin verminosam adaugebit.

### II. Olea expressa.

Haec quidem, dummodo pura et recentia sint, primum inter laxantia locum occupant, cum nec intestinis vim inferant, nec alia mala cieant, ideoque catharsin blandam provocando vermesque involvendo et depellendo subjectis irritabilioribus conveniant, dolores simul a vermibus perturbatis ortos mitigantia. Attamen eadem olea in casibus quibusdam curae retardatae vel et irritae factae culpam gerent, cum et medicamen antitaeniosum obvolvere ejusque efficaciam minuere, et vermem contra remedii vim tueri valeant.

1. Oleum Ricini ob summam contra Taeniam latam virtutem, saepissime comprobatam, laudibus effertur a cl. Dunant 62) et Odier 63, qui tres pulveris radicis Filicis maris drachmas cum aqua Tiliae propinat horisque duabus elapsis tres olei Ricini un-

<sup>62)</sup> Journ. de Med. T. 49; p. 44 - 52.

<sup>63)</sup> Ibid. p. 333 - 335 et p. 450 - 460.

cias ita quidem offert, ut quavis hora cochlear ejusdem in vasculo, carnis jusculo repleto, sumatur. Taeniae alvo dejectae in globum plerumque convolutae erant, quod alias rarius contingit, radix Filicis licet saepissime adhibeatur. Testula sive cutis externa variegata et dura a Ricini seminibus separatur quidem, ut oleum expressum vim drasticam non exhibeat, attamen pauxillum testularum oleo recenti forsan adhaerens in causa esse videtur, ut vim peculiarem in vermes exerceat. Contra Taeniam vero Solium oleum Ricini effectum istum non praestitit. In clysmate quoque saepius propinatur.

- 2. Oleum Nucum, cui vinum alicantinum superadditur, a cl. Passerat de la Chapelle 64) contra Taeniam Solium laudatur. Taenioso jejuno unciae quinque olei nucum et duabus cum dimidia horis elapsis, vini dicti unciae quatuor propinantur, usu per 15 dies continuato. Nostris saltem in regionibus, ubi usus hujus olei minus vulgaris est, et vinum additum curam satis caram reddit, aliis cedit medicamentis efficacioribus.
- 3. Alia quoque olea expressa his modo allatis substitui possunt, sed plurima nauseosa et ingratissima, nonnisi pauperibus propinanda erunt.

#### Ame mus III. Drastica.

Ex magna horum copia Sal amarum, Rheum, Senna, Jalappa, Gratiola, Scammoneum, Gummi Gut-

<sup>64)</sup> Journ. de Med. Tom. 6. p. 305 - 307.

tae, Helleborus niger et albus, Aloë, grana Tiglii, Calomel magna dosi, et semina Sabadilleos contra Taenias potissimum adhibita fuere. Quotnam sedes, sanguine saepe permixtas, corundem usu exortas, Tacniosi ferre potuerint, fidem fere superat: sed drastica eadem summam nonnunquam debilitatem, tremorem et convulsiones diras relinquunt, ut periculum, organismo inde exsurgens, majus sit quam quod vermes ipsi produxerint. Feminis ergo delicatulis et infantibus vel hominibus in genere irritabilitate majori praeditis, nunquam propinari debent. Rarius vero porriguntur sola, sed cum aliis plerumque helminthagogis conjungi solent, quo majorem gignant effectum, ut e. g. in Electuario anthelm. Stoerkii plurimisque antitaeniosis compositionibus. E contra Bremser, Sennerti exemplo, vermium expulfionem certius exspectandam esse monet, si purgantibus praemittantur anthelminthica sola.

Priusquam methodorum antitaeniosarum expositionem adgrediamur, nonnulla remedia simplicia, quae contra Taenias quoque in usum tracta fuere, promiscue hic enumerari non inutile fore arbitramur.

Huc spectat largus amygdalarum, amararum 55) etiam, plures per hebdomades continuatus usus, quo Taenia, efficacissimis remediis aliis pertinaciter resistens, expulsa fuit; huc refero lac equinae

<sup>65)</sup> Hufeland I. c. 11. Bd. St. 4. S. 179.

recens muletum, "6) quod Taeniosae cuidam, medicamina anthelminthica vomitu rejicienti, mane et vesperi ad cochlear unum aut duo porrectum, vermem ingentibus cum doloribus colicis mortuum ejecit. Aqua etiam, in qua linum viride decem maceravit dies, et electricitas vim Taeniaefugam exseruerunt. Electricitas, quam Hjortberg, Hollandiae sacerdos, primus contra Taeniam adplicavit, recentiori etiam aevo, in Anglia, Suecia et (auctore Frick) 67) in Germania quoque adhibita est scintillarum quidem forma, diversis in dimensionibus per abdomen trajectarum, quarum effectus observatur eo citior, quo major fuit earundem intensitas- Vermem ipsum licet electricitas tali modo adplicata non semper expulerit, molestias tamen ex eo productas citissime amovere aliorumque remediorum usum adjuvare posse mihi videtur. - Cel. Neumann 60) ope Sulfuris depurati, singulis pro dosi scrupulis exhibiti, in casu quodam Taeniae ulnas sex, in altero ulnas aliquot, in tertio Taeniam latam integram expulit. - Dr. Balz 69) oleum Crotonis commendat, guttam pro dosi praescribens, diebus alternis ternisve repetendam. - Dr. Lichtinger amicissimus mihi, duabus Aquae foetidae antihy-

stericae

<sup>66)</sup> Kortum in Hufel. l. c. 1812. April. S. 119.

<sup>67)</sup> Salzburger med. chir. Zcitung 1795. Bd. 3. Beilage zu Nr. 55. S. 78.

<sup>68)</sup> Rust's Magazin. Jahrg.

<sup>69)</sup> La Clinique des hôpitaux. 1829. Nr. 2.

stericae unciis intra trihorium assumtis, feminae hystericae Taeniam Solium cum capite ex improviso dejecit. - Recentissimo tempore Dr. Kuntzsch 70) sen. Chinini vim antitaeniosam expertus est. Febrem nimirum tertianam, sale jam Ammoniaco et Extractorum solutionibus, serius deinde Emetico et infuso Sennae tractatam, Chinino tandem, cujus omni bihorio grana duo pro dosi praescripta fuere, debellavit medicus. Sexto consumto pulvere, febris eodem jam die cum vomitu et convulsionibus intravit, quae cum die sequenti intermitteret, aeger sex Chinini pulveres tribus compositos granis omni hora accepit, quo facto febris evanuit. Alternis postea diebus quatuor per diem Chinini pulveres granorum duorum porrecti sunt; quos cum aegrotus sexta vice ingesserat, diarrhoea sequuta est, qua intra tres dies Taeniae mortuae una cum capite centum ulnae et ultra expulsae fuerunt. Verminosa licet symptomata aeger nunquam prodidisset, febrem tamen intermittentem, tunc temporis in regione ista epidemice non grassantem, ex Taenia modo ortam fuisse, verisimillimum; eadem vero febre intermittente remediisque antifebrilibus Taeniam fuisse enecatam atque expulsam, facile crediderim. - Non praetereundus mihi videtur mos, in Suecia popularis, ex quo Taeniosi araneam vivam majorem, ope putaminis dimidiae nucis Juglandis, umbilico illigant, horisque duodecim elapsis vermem amittere solent: quod quidem phaenomenon antipathiae debetur plane singulari magisque stupendae sane, quam qua concri contra sues affici dicuntur, qui circa currum cancris refertum agitati, mortem cancris inferre solent.

Aggrediamur nunc varias contra Taeniam in usum vocatas methodos, quas in opere Bremseri helminthologico egregio, supra jam saepiusque citato explicatas et recensitas reperimus, ita, ut ex antiquioribus quatuor modo maxime celebratas attingamus, accura-

<sup>70)</sup> v. Graefe u. v. Walther l. c. XIV. Bd. 4 Heft 1830. p. 660 - 662.

tius aevo recentiori et novitate et effectu insigni di-

stinctas exposituri.

1. Methodus Nouffertiana. Praeparatione nulla praegressa, nisi quod aeger vesperi jusculum assumat butyro largo confectum et si per diem alvus obstructa fuerit, clysmate utatur aperiente, altero die mane tres pulveris rad. Filicis m. drachmas ingerit, quae vomitu forsan rejectae, repetendae. Bihorio praeterlapso, bolus purgans porrigitur ex panaceae mercurialis, resinae Scammonei ana gran. XII., gummi Guttae gr. V. et confectionis Hyacinthinae s. conservae Rosarum s. qu. Cui aegrotus superbibat sat magnam aquae copiam, quo facto diarrhoea excitatur gravissima, qua Taenia depellitur. Quae quidem methodus admodum vehemens, contra Taeniam latam modo efficax, ingrata semper, nec tuta, nec periculi expers.

Methodus huic similis, qua utebatur Odier '1) in eo tamen diversa, quod boli loco tres olei Ricini unciae praescriptae fuere, cujus omni hora cochlear

in pauxillo jusculi carnis sumendum.

2. Methodus Herrenschwandiana saepins mutata et modificata ab ipso auctore: aeger pulv. rad. Filicis m. drachmam biduum mane jejunus assumit, tertio autem die pulverem ex gummi Guttae gran XIL, salis Absinthii gr. XXX., et saponis Starkeyani gran ji compositum, in aqua tepida solvendum. Vomitus et diarrhoea, quae inde cientur, aquae tepidae vel infusi theae assumendi ope facilitantur. Horis tribus elapsis, olei Ricini uncia cum jusculo carnis offertur et verme nondum expulso, hora elapsa dosis eadem et post bihorium, si necessitas urgeat, iterum repetatur. Cunctante nihilominus verme, vesperi clysma ex lactis et aquae partibus aequalibus et olei Ricini unciis tribus compositum applicetur, quo ejiciatur mox Taenia.

Haec quidem methodus cum priori, respectu eventus et periculi, utplurimum conveniens, mitioribus, quae praesto sunt, remediis merito postponenda.

3. Methodus a pharmacopola Matthieu proposita, non ubique certa, imo saepe periculosa, e con-

<sup>71)</sup> Abhandlung. f. pract. Aerzte, Bd. 4. p. 364 - 470; Bd. 5. p. 233.

nubio anthelminthicorum et drasticorum procedit. Praemissa sc. diaeta antiverminosa, halice praeprimis, salinis similibusque large comestis, per triduum electuarii e limaturae Stanni uncia, rad. Filicis m. dr. vj., seminum Cinae uncia dimid., Jalappae, Salis polychresti ana dr. j, mellis q. s. compositi cochlear parvum omni bihorio consumitur, donec motus vermis ab aegro percipiuntur. Deinde eodem modo dosis eadem electuarii alterius propinatur ex pulv. rad. Jalapp. et sal. polych. ana Scrup. jj, Scammonei Scrup. j, gummi Gutt. gr. X. et melle compositi, eo usque continuandi, donec Taenia tandem dejiciatur, cujus expulsionem olei Ricini vel usu interno ad cochlearia aliquot vel externo

forma clysteris facilitari jussit Matthieu.

4. Methodus Bremseri, qui curam incipit ab electuario e sem. Cinae s. Tanaceti rud. contus. Unc. dimid., pulv. rad. Valerian. syl. Drachm. jj., pulv. rad. Jalappae Drachm. dimid. - Scrup. jj, tartari vitriolati Drachm. dimid - Scrup. jj, Oxymel. squill. s. qu. composito, mane et vesperi cochleari parvo, quod coffeae vocant, ingerendo. Quo exhausto praescribitur oleum Chaberti, cujus quovis mane et vesperi duo cochlearia parva in aquae haustu sumantur, quae, si forsan non feratur, dosis minuenda erit aut affectiones inde excitatae emulsione quadam mitigandae. Continuato decem vel duodecim dies olei istius usu, purgans propinatur ex rad. Jalappae Scrup. j. fol. Sennae Drachm, dimid. tartari vitriolati Drachm. j. compositum, in tres quatuorve pulveres divisum, qui intra horas quatuor consumantur. Repetatur deinde oleum Chaberti, eo usque continuandum. donec sex ad septem unciae consumtae fuerint, superaddito quavis vice pauxillo aquae ad malum, quem oleum spargit, emendandum odorem.

Primis jam post curam institutam diebus, vermis vel pro parte vel totus depellitur maceratus, nec cura roborante aliave opus erit, nisi praevalente in muci generationem dispositione, contra quam remedium ex tinct. Aloës compos. Pharm. Austr. Drachm. j, tinct. Martis pomat. Uuc. j, elixirii Vitrioli angl. Pharm. Lond. Unc. dimid. compositum hujusque ter quaterve per diem X — XXX. guttas in cyatho aquae

aut vini propinari jubet Bremser. Methodo hac, qua utitur auctor, non tam Taeniam, quam morbum ipsum et mali causam adgreditur, parvi faciens, utrum ver mis excernatur necne, dummodo tribus mensibus elapsis morbi incommoda et symptomata plane sublata sint-

Reliquas autem ob virtutem Taeniaefugam commendatas methodos quam plurimas, variorum aucto rum varias, uti Wagleri ct Clossii, a Fritze pu blici juris factam, Beckii, Darwini, Ettmülleri. Hargeni, Kortumi, Schwarzii, Hufelandii Bourdoir, Aliberti, Dubois, Darelli, Rathier. Junghansii, Brugnatelli etc. exponere hic, pla gellarum angustiae vetant. Sed medendi rationes, quae nostris temporibus contra Taeniam cognitae sunt, e novitate et effectu insigni celebratas profundius inquiramus et explicemus necesse erit.

Collegium medicum, quod est Stuttgardiae, anno MDCCCXXIV. remedium contra Taeniam Solium, in regno Virtembergico frequentem, publicavit, quod specifici quidem antitaeniosi laude indignum aliis tamen Taeniaefugis hucusque cognitis ob egregium citioremque effectum praeferendum esse videbatur. cum corruptioni minus obnoxium, minoris pretii, faciliter in promptu habendum, aegro respectu saporis e diaetae magis conveniat nec effectibus suis secundariis

sanitati humanae damni quidquam afferre soleat.

a. Radicis Filicis m. cum stipitibus collectae, ir frustula minima dissectae nec ultra annum conservatae drach. duae cum aquae mensura et semis in vase clauso per horam coquuntur, cui deinde decocto scrupulus additur corticis Mezerei recentis dissecti, liquorique 10 ad 12 saxagesimis horae partibus elapsis per linteum trajecto, rad. Filic. m. subtilissime pulv. Drach. dim. (vel et Drachma, si aeger sit robustior) admiscetur. Hoc quidem decoctum, recepto circa vesperem jusculo. ex aqua et larga butyri quantitate parato, mane altero vel uno haustu ab aegro jejuno vel duabus tribusve intra horam divisis portionibus consumitur, quo facto aeger sub coelo corpus exerceat.

b. Quodsi tribus quatuorve horis elapsis, ructus aliaeque ventriculi sensationes molestae, medicamine excitatae, nondum cessaverint, Taeniosus pulverem re

cipiat ex Calemel. et ferri sulfurici recens parati ana gr. X. (pro infante grana IV. sufficient) compositum,

qui, vomitu forsan rejectus, repetendus erit.

Ad vesperem Taenia depelli solet, quod si non contigerit, jusculum pingue ex aqua denuo porrigitur et mane subsequenti, jejuno adhuc ventriculo, pulvis ex Rhabarbari et rad. Jalapp. ana gr. XL. (pro infantibus vel adultis debilioribus XV. — XX. grana sufficient).

Medendi ratio, qua viginti jam annos utebatur C. A. Schmidt sen., 72) medicus Berolinensis, magnam sibi promeruit contra Taeniam laudem, cum cito agat tutoque, periculi expers sit et nunquam medici spem eludere praedicetur, dummodo vermis iste revera existat. Divitur cura in praeparationem et curam

ipsam.

Quod praeparationem attinet, aeger a primo mane, jejunus ergo, ad septimam usque horam vespertinam omni bihorio duo cochlearia mixturae recipiat ex pulv. rad. Valerian min. drachm. vj., fol. Sennae drachm. jj. ad col. unc. vj. infusis compositae, additis simul Natri sulfur. cryst. drachm. jjj., Syrupi mannati unc. jj. Elaeos. Tanaceti unc. jj. Cui mixturae superbibitur potus coffeae sine lacte cum copioso saccharo aut syrupo, quibus vermem e muco convoluto, cui inhaeret, eliciamus eumque deorsum actum facilius depellamus. Diaetam respiciens medicus pro prandio jusculum ordinat e farina conditum et plura harengi frustula cum semine masculo, pro coena vero, circa horam octavam vespertinam, pernam crudam secatam cum cepa et larga olei ac sacchari quantitate confectam. curandi methodus adeo saepe efficacem se praebuit, ut plures Taeniae portiones, quid? quod in casibus duobus ab auctore observatis vermem integrum sat magnum dejectum fuisse constet.

Praemissis remediis istis praeparantibus, die altero mane ab hora sexta jam matutina horis singulis cochleari syrupo repleto Taeniosus pilulas sex ingerit massae ex Asae foetidae, Extr. Graminis ana drachm. jjj. pulv. Gutt. pulv. rad. Rhei, pulv. rad. Jalapp. ana

<sup>72)</sup> Hufeland und Osann l. c. VIII. Stück. 1328.

drachm. jj., pulv. rad. Ipecac., pulv. hbae Digit. purp., Sulf. stibiati aurant. ana scrup. dimid., Calomel. scrup. jj., olei Tanaceti aetherei, olei Anisi aether. ana. gtt. XV. compositae et. l. a. in pilulas, lycopodio conspergendas, pond. gran. jj. redactae. Hora dimidia post primam dosim elapsa, cochlear oleo Ricini impletum porrigitur et inter pilulas omni hora ingerendas potus coffeae, absque lacte tamen, multo cum sacharo aut syrupo propinatur, donec circa alteram horam pomeridianam Taeniae secessus plerumque contigerit, seporationed dimidia post prima pomeridianam Taeniae secessus plerumque contigerit, seporationed dimidia post prima pomeridianam Taeniae secessus plerumque contigerit, seporationed dimidia post prima pomeridianam Taeniae secessus plerumque contigerit, seporationed dimidia post prima pomeridianam Taeniae secessus plerumque contigerit, seporationed dimidia post prima pomeridianam Taeniae secessus plerumque contigerit, seporationed dimidia post prima pomeridianam Taeniae secessus plerumque contigerit, seporationed dimidia post prima pomeridianam p

sitis deinde pilulis.

Quodsi singulae modo Taeniae partes depulsae sint, pilulae omni hora eo usque continuantur, quo nullum vermis vestigium prodierit. Est etiam, ubi tardior observatur vermis expulsio, quare alternatim cum pilulis cochlear oleo Ricini impletum, superaddito copioso saccharo contuso, aliquoties per diem recipiendum erit. Diaeta interim ad jusculum carnis, circa meridiem assumendum, et jusculum carnosum aut farinosom cum butyro recenti et saccharo paratum, circa vesperem ingerendum, restringitur. Ne nidus s. d. verminosus remaneat, die et sequenti pilulae aliquot provide consumi queunt.

Vermis ipse, in fundo vasis repositus, pennae ope cautissime auferendus erit, ne caput aut collum rumpantur tenuissima. Perfecta itaque cura, quam respectu aetatis sexusque semper modificabis, aegroto jusculum carnis, carnem teneram, pullos vel columbas juniores, vitellum ovi, vini boni pauxillum et aliquoties per diem remedium quoddam amarum porrigas

necesse erit.

Interdum symptomata Taeniosa fiunt recidiva, eum praesertim regulae modo allatae non stricte observentur aut medicamen vomitu saepius rejectum fuerit: ubi deinde vel frustula tantum Taeniae depelluntur, vel aliquot quidem Taeniae, quamvis aeger plures recludat, vel nidi sic dicti verminosi remanent, in quibus nonnunquam quinque aut sex vermes exigui absconduntur, intestinorum plicis reclusi expulsuque difficillimi, sensim sensimque increscentes. Quae ut praecaveantur, saepius aeger alece acetario fruatur et Armoraciae radice cruda tritaque, aceto multoque sac-

charo conditis, pilularum etiam doses aliquot singulis

hebdomadibus repetantur.

Curae hujus antitaeniosae contraindicationes sistunt graviditas, catameniorum periodus vel instans vel modo elapsa, inflammatio sthenica, phthisis, pulmonum ulcera et tabes omnis generis, haemorrhoides fluentes, haemoptysis, phthisis trachealis et debilitas senilis. Ex centum sexaginta sex Taeniosis, ab auctore tractatis, quindecim modo fuerunt viri, viginti unam tantum Taeniam omnesque reliqui duas ad novem et aegrota octodecim annorum septemdecim in corpore recludebat Taenias.

Omnem methodi istius virtutem Taeniaefugam in frequenti sacchari vel syrupi usu ponendam esse censet Siemerling '3') cum anthelminthica reliqua, quae Schmidtius in usum trahebat, diu jam cognita eundemque in finem adhibita tantam sibi non promeruerint laudem, syrupus vero anthelminthicum sistat efficacissimum, dummodo placentae piperitae melle aut syrupo confectae aut radicum lutearum, principio saccharino copioso scatentium, esum Ascaridum secessus

frequentius exceperit.

Siemerling 7\*) ipse, hoc ductus principio, quod vermis absorbendi facultate privari pinguibusque substantiis obvolvi debeat, remediis congruis in statum jam paralyticum antea translatus, propria utitur contra Taeniam medendi ratione, in curam praeparantem et specificam divisa, quam hic exponere angusti opusculi limites cohibent. Optimum curae instituendae tempus et ille eo ponit, quo singula Taeniae membra sponte per alvum ejiciantur, quod a mense Martio ad Julium usque frequentissime observari solet et ab auctore nostro peculiari morbo, ulcusculis sc., quibus disjungantur membra tum temporis, adscribitur. —

Methodi antitaeniosae fere omnes tantas exposcunt vires, quantae rarissime in Taeniosis reperiuntur; itaque medendi ratio, quam Vogel 75) offert, etiamsi vetulae originem debeat, imitatione haud indigna esse

74) Hufeland u. Osann l. c. XII. St. Dec. 1830.

<sup>73)</sup> Hufeland u. Osann l. c. Bd. LXIX. 1 St. Jan. 1829.

<sup>75)</sup> Dr. C. Vogel siehe Rust's Magazin f. d. gesammte Heilkde. XXVI. Bd. III. Heft. Berlin 1828.

videtur, cum efficacia insigni donata, mitior simul sit methodo, qua Odier utebatur, non absimilis. Ad vesperem nimirum aeger jusculo fruatur ex pane nigro cum larga butyri quantitate parato, horaque elapsa clysma ex decocto Althaeae fortiori cum cochleari se mis natri muriatici oleique olivarum drachma adplicetur, quod aeger, lecto incumbens, retinere studeat. Post horam Taeniosus octavam librae partem pernae crudae comedat et encrasiculos duos, utrumque subtiliter secatum, potuque omni se abstincat. Altero die mane lecto adhuc recumbens, in vasculo infusi florum Tiliae puly, rad. Filicis m. drachmam ingerit et surrectus postea, continuo in cubili obambulans, bihorio elapso, singulisque deinde horae quadrantibus olei Ricini unciam semis in potu illo theato eo usque assumit, donec ad summum unciae tres consumtae fuerint.

Hic quidem sitis intensa, noctu praesertim aegrum molestans, pro viribus superanda, utplurimum valet ac

recens medicaminum qualitas.

Quibus omnibus comparatis, nullum existere remedium, etsi specifici antitaeniosi nomine insignitum, nullam etiam methodum, quamvis laude maxima elatam, quae nunquam medici spem eluserit, abunde edocemur. Attamen inter remedia, quae contra Taeniam usurpata sunt, simplicia, Extractum Filicis oleo-resinosum et Granați cortex tam cito tutoque et sine detrimento egerunt, ut reliquis antitaeniosis omnibus palmam eripere mihi videantur. Methodi autem ab auctoribus variis contra Taeniam commendatae variae ex anthelminthicorum et drasticorum, alternatim adhibitorum, connubio prodeunt omnes, ideoque maxima, sub drasticorum jam usu eommendata, indigent providentia, cum organismum vehementissime saepius afficiant, intestina valide, ad inflammationis non raro gradum, stimulando, summamque cum universalem tum topicam ventriculi et tractus intestinalis debilitatem inducant, curatu saepe difficillimam, vermesque ipsos interdum expellere nequeant. Medici ingenium, corporis constitutionem prae omnibus respicientis, in eligenda optima contra Taeniam methodo plurimum sane valebit. Quas Bremser et Schmidt proposuerunt, et

si mitioribus detur locus, quae a collegio Stuttgardiae medico et a Vogelio commendantur contra Taeniam medendi rationes, quam maxime mihi ex omnibus allatis arrident. —

Saepe accidit, ut Taeniae caput collumque intestino firmiter inhaerentia, revulsa parte reliqua, in abdomen ascendant; semine igitur et germine morbi non expulsis, fausti eventus spes eludi videtur. Multa in tali casu medicamina adhibuerunt medici, sed rarissime Taeniam expulerunt integram. Mechanica quidem vi nunquam protrahi potest, nisi ope tubuli, quo medicus quidam Petropolitanus' 6) contractionem sphincteris circa Taeniam superavit, ideoque cel. Raimann'7) monet, ne pars vermis protrusa avellatur, sed motu nascente antiperistaltico, filo leviter constringatur. Acidum borussicum concentratum, cujus Frank sub hoc respectu mentionem facit et quo Selini Gaelnecke 68) Taeniam se necasse narrat, non semper hunc praestitit effectum. Balnea quoque tepida ex aqua et lacte paranda frustra adhibita fuere. Place 19) balnea ex cortice Granati commendat, avulsaque propendente Taeniae parte, clysmata ex eodem cortice parata adplicanda suadet, quae celerem et felicem effectum polliceantur.

Silentio non praetereunda erit Bremseri sententia, qui parvi faciens, utrum extremitas capite instructa in faecibus reperiatur necne, cum et vermis capiti proxime avelli soleat et plures ejusmodi hospites Taeniosus simul recludere possit, criterium vermis absentis solum tutumque in eo ponendum esse censet, quod morbi symptomata evanuerint nec trium mensium spatio elapso recurrant. Serius autem, annis duobus tribusve praeterlapsis, quando Taeniarum vestigia observentur, novos jam vermes natos esse idem affirmat.

79) 1, c. p. 23.

<sup>76)</sup> Journal complémentaire. Juillet 1825.

<sup>77)</sup> Joh. Nep. Edl. v. Raimann Handb. d. Pathol. u. Therapie. 1826. Theil 2. p. 296.

<sup>78)</sup> Dr. Gaelnecke in Hufeland u. Osann l. c.

#### Medicamenta externa.

Fuerunt medici, qui medicamenta abdomini infricanda contra intestinorum vermes magnopere commendarent in dolore abdominis repente exorto, a vermibus terebrantibus vel perforantibus derivato ita, ut vermes medicamentis istis a loco, cui infixi sint, amoverentur. Quae perforatio verminosa quamvis in hominis intestinis locum non habeat, testibus Rudolphio aliisque, externa tamen specificorum contra vermes adplicatio internorum efficaciam maxime augebit, cum virtus externorum, licet non helminthagogoram, summa jam sit et in casibus potissimum, ubi aegroti internum usum recusant, externa sola indicationibus aeque ac exspectationi respondebunt. Ratio, qua agunt deinde, ad nervorum systematis, in specie plexuum abdominalium affectionem referri videtur. (Bremser). Huc pertinent infrictiones Gummi Gutti, Colocynthidis aliorumque drasticorum purgantium sub forma unguenti; terebinthina in ovi vitello soluta, extractum Absinthii in aqua Menthae piperitae; oleum Cajeputi et balnea tepida (Rudolphi); petroleum cum allio et felle tauri recenti (Mellin); cataplasmata ex Allio, herba Lini, Tanaceto, Absinthio et aceto (Lower, Schenk); prae omnibus vero oleum Tanaceti in bile bovina (Richter); linimentum e felle Tauri, sapone Venetae cum oleo Tanaceti (Brera) aut cum Camphora vel Aloë etc. Quarum substantiarum plures clysteris quoque formam admittunt, et enemata etiam ex lacte et Nicotiana paranda commendantur.

#### De curae tempore.

Varia Astrologis et Magis olim accepta in artis medicae opprobrium hinc inde adhucdum foventur, inter quae dierum quorundam vel faustorum vel infaustorum religio Lunaeque in nos imperium commentitium eminent. Nulla tamen observatio fide digna lunae in tractum intestinalem vermesque imperium comprobavit, qui quovis tempore depelli queunt. Ast animalium vermes plurimos cum stato anni tempore frequenter in-

veniri, alio autem tempore prorsus abesse pateat, et in humanis simile quid forsan obtinere poterit. (Rudolphi). - Optimum sane Taeniae depellendae tempus, quo singula vermis membra a trunco sponte secedant, mensibus igitur aestivis, eligendum, rationemque, qua partium haec vermis segregatio contingat, a certo evolutionis stadio penderi, ingeniosissimis observationibus demonstravit Bremser 80) qui in tabula aenea secunda Bothriocephali lati, quo Helvetium quendam liberaverat, effigiem delineavit. Unde membra fecundata, attenuata, corrugata tabescere, et si co usque processerint, ut partus edatur, plane emori, colore fusco deinde notata, abunde elucet. Nec miranda videtur haec creandi ratio, similia in regno organico secum reputanti. Generationem enim summum esse processum organicum, nemo erit, qui inficietur, cum partim non prius contingat, quam absoluta genitoris evolutione, partim generandi facultate amissa, totius organismi vires vitales sensim sensimque hebescant. Ita Entozoorum quoque organismus ad novam usque creationem excolitur et generatione ex membris certis peracta, emoritur. Quidquid vivit et viget in rerum natura, propagatione finita, serius ocius obit; ocius, ut videtur, quo inferiorem organismus, serius, quo altiorem tenet dignitatem. good and and aldrew amount

#### II. Cura radicalis.

Ad curam radicalem, abnormi cum organismi tum tractus intestinalis vegetationi restituendae et roborandae, qua vermium regenerationi praccaveatur, intentam Taeniarum expulsionem nonnisi ratione indirecta conferre, non est, quod moneam. Digestionis igitur opus et intestinorum secretio ad normam reducantur necesse erit, muci deinde tenacis, in quo nidulantur vermes, secretione restricta. Quibus indicationibus respondent remedia amara omnia et tonica tum e regno vegetabili tum e minerali deprompta. Extracta amara, in genere remedia quaecunque ad classem roborantium, ve-

<sup>80)</sup> l. c. p. 96.

getationem adaugentium spectantia. Ex vegetabilibus eligenda sunt: Quassia, Columbo, Gentiana, Centaurium, Trifolium, Polygala, Rheum in dosibus minoribus etc. in aqua aromatica quadam soluta. Praestat ceteris cortex Chinae cum Valeriana et anthelminthicis interdum variis sub formis conjunctus. - Ex regno minerali ferrum princeps remediorum crit, nunc ferro sulfurico, nunc Martis limatura adhibitis et cum cortice Chinae, extracto Tanaceti, extracto nucum juglandium (Richter) conjunctis. Laudantur etiam flores salis ammoniaci martiales, quorum aeque ac reliquorum ferri praeparatorum efficacia decoctis roborantibus adjuvatur. - Acida etiam mineralia, elixir acidum Halleri etc. haud immerito commendantur. - Aquarum tandem fontanarum plures egregium effectum praestiterunt, praesertim ferro et acido carbonico praevalente scatentes (Vogel).

Ex quibus omnibus optima semper et individuo respondentia medicus, ratiocinio ductus, eligat summaeque tum in cura radicali tum Taeniaefuga instituenda perseverantiae studeat necesse est, qua certe plus praestabitur, quam continua et fortissimoru mmu-

tatione atque variatione.

Platonis verbis utar, summopere redundantem in faustum curae institutae eventum, congrua semper sit et accommodata oportet. Cibis farinaceis difficulter digerendis, leguminibus, solanis tuberosis, pane multo sepositis, alternas alimentorum animalium et vegetabilium usus merito commendatur ita, ut vegetabilium tamen prior concedatur locus. — Potus simplex, adultis vino assuetis conveniunt vina bona acidula, cerevisia etiam hene fermentata et aquae minerales. — Summae aeger studeat munditiei, liberaeque curet cutis transpirationi balneis saepius applicatis, repetitis abdominis cum aqua fervida lotionibus (Darwin) et frictionibus ope panni lanei tenuioris. Corpus frequentissime exerceatur sub coelo.

Selector historica adversion was male crasical cum half

# logica et comparine / fil. S. dubertiy a logicalegia, Col. Rome ton comparine appelloniolistes (Fig. 1) il de la de cherapia and compare chronicosmo. Legal from de cherapia encole de la decembra de cherapia encole. Hi date de cherapia encole. Hi date de cherapia et cherapia. Hi dien de cherapia et cherapia. Hi dien de cherapia et cherapia.

tricing together, Cell Bornal mediciness forensent, there a

groups colenge studie per anomor at office add instituted turies

Ego, Friedericus Guilelmus Piltz, Vratislaviensis Silesius, religioni Catholicae addictus, die Mensis Maji XVII. anni MDCCCII natus, patre optimo, in urbe patria medicinam exercente, et matre dilectissima e gente Josephiana gavisus sum, quibus tamen inexorabile fatum morte praematura me miserum privavit. Litterarum rudimenta partim praeceptoribus debeo humanissimis, quibus domi utebar, partim professoribus Gymnasii catholici, quod Vratislaviae, Rectore Cel. Köhler, nunc quoque floret, litterisque imbutus sum ad studia academica rite colenda necessariis.

Examine, quo maturum me praestiteram, superato, anno MDCCCXX civium academicorum numero in alma litterarum universitate Viadrina adscriptus alboque facultatis medicae inscriptus, disserentes audivi Celeb. Thilo de Logica et Dialectica, Cel. Rohovsky de Philosophiae elementis, Cel. Jungnitz de physica experimentali, beat. Heyde de terminologia et fundamentis botanices, de botanice et plantis medicinalibus, Cel. Gravenhorst de historia naturali, entomologia, entozoologia III. Steffens de historia terrae naturali interna, de anthropologia, geographia physicali nec non physica experimentali, Cel. Henschel de phytotomia, beatum Kaysler de anthropologia philosophica et doctrina morum philosophica, Cel. Otto de Osteologia, Cel. Brandes de mathesi applicata elementisque statices, hydrostatice et mechanica, Cel. Klose de encyclopaellia medica, Cel. Fischer de chemia experimentali, Ill. Bartels de vitae stadiis.

Deinde Viennam petii, ubi in civium academicorum numerum receptum me docuere Cel. Meyer anatomiam universaem, artemque cadavera rite secandi, beatus Prohaska physiologiam hominis, Ill. Jacquin Chemicam et botanicen. Ill. Eques ab Scherer historiam naturalem cum universalem cum Entozoorum, Ill. de Rudtorffer partem chirurgiae theoreticam, Beat. Hartmann pathologiam et therapiam generalem, pharmacologiam artemque formulas rite concinnandi, Ill. Boër artis obstetriciae theoriam, Cel. Berndt medicinam forensem, Beat. ab Raimann pathologiam et therapiam specialem. Ad practica quoque colenda studia per annum et ultra adii instituta clinica, auspiciis Ill. v. Raimann, v. Kern, Wawruch, Boër et Rosas.

Berolinum tandem me conferens ibique gratiosi ordinis medicorum albo inscriptus, his interfui praelectionibus: Ill. Rudolphi de sensuum organorum anatomia, de anatomia pathologica et comparata; Ill. Schubarth de toxicologia, Cel. Jüngken ophthmiatrice, Perill. Hufeland de therapia morborum chronicorum, Beat. Berends de therapia speciali, Ill. Neumann de morbis mentis, Ill. Link de Botanice et chemia, Ill. Horn de morbis syphiliticis. Institutionibus denique clinicis medicis Perill. et Ill. Hufeland, Osann, Busse, Berends, Neumann, chirurgicis Ill. Rust tam auscultando quam aegrorum curam suscipiendo, haud defui.

Jam vero tentamine medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut, disserta tione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferentur.

personasies, quinus dans stenar, sault cetholici. qued Ventislaviac. Mectore Cal. Kobler, mano quaque libret, differisque imbutus sum ad studia academies ofthe rolends toensantist que restaron me precitivam, superdo sono thing stadenderium namers in sims litterarum medificate Viething competite subjection and beilt attribute inscriptor, discreptor and in the Children Logica et Clanitz de physica expresenceteti, heat, theyde de terminologia et fradamentis botanices, de bolanice et plantis medicioalibus, Tiel tereveriborat de historia naturali, entenologia, entercologia 18. Strifers de bistarie terres natural interna, de authropalegio, geographia physicali nee non physica, experimentali, Col. Osteclasia, Col. Branden de malbest opplieste elementiaque stations, legarostation et machanius. Cal. Klase de encycloperthe medice, Cel Fischer de chemin experimentali, ill. Bartele

Delings Vicunzes petif, phi in civims oradenicarum resurrem receptua une docuere tlei. Meyer sustament maiveres term extension cadavers ofth accordi. beates Probasks obvide

## Theses defendendae.

- I. Datur generatio aequivoca.
- II. Hepar non solum bilis secretioni inservit, sed et potissimum in assimilationis opus redundat.
- III. Anthelminthicum verum hucusque non cognitum.
- IV. Hymen non certum est virginitatis signum.

# Theses defendendse

I. Datur generatio sequivoca.

II. Hepar non solum bilis secretioni inservit, sed et potissi

III. Authelminthioum verum hucusque non cognitum.

IV. Hymen non certain est rirgisitatic signama



